№

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

C 374

D
1995

RESIDENTIA · IHS · MAIOR · MASSILIENSIS
27

La [illegible] 1[illegible] est à la [illegible]

APOLOGIÆ

PRO JESU SOCIETATE

IN ALBA RUSSIA

INCOLUMI

EX COMMUNI JURE PRINCIPATUS,

ET EX JURE PROPRIO IMPERATRICIS AUGUSTISSIMÆ

CATHARINÆ II.

LIBER III.

Mb 4

MASSILIÆ JHS SOC. JES.

ANSTELEDAMI

1793.

BX
3745
R8
P08
1793
JESUITICA
v.2 - v.3

Utinam taceretis, ut putaremini sapientes....
Numquid enim Deus indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos?

Job. 13. *v.* 5. & 7.

11/ /2211 Cam

APOLOGIÆ
PRO SOCIETATE JESU
IN ALBA RUSSIA INCOLUMI

Ex communi Jure Principatus, & ex Jure proprio

AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS

C A T H A R I N Æ II.

Liber Tertius.

Scriptor Apologiæ Lectori suo

S. P. D.

UT nulla quidem major amicitiæ calamitas accidere ea solet, quam si quis Adulator, ut fit sæpissime, quæ sint in amico vitia, ea ipsa virtutes inversis nominibus eximias coram illo ipso nihil vereatur appellare; Sic nulla pestis capitalior, nulla proditio tetrior in supremam Principum potetatem potuit excogitari, quam id genus perfidiæ, quod nostræ hujus ætatis Philosophi paulo ante erant ma-

chinati; dum nullis definitam terminis summi Imperii potestatem callidissimè mentiebantur: qua fraude eo rerum publicarum Præsides adducere conabantur, ut eos opibus, viribus, copiis publicè abusos, primum in invidiam suorum Civium, deinde in commune mortalium omnium odium adducerent, eo redditos magis detestabiles, quo illius sciti magis immemores viderentur: *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraquè nequit consistere rectum.*

Quod totum & cujusmodi fuerit, & quam late hac miserrima tempestate patuerit, cum, possem pluribus argumentis ostendere, unam dumtaxat abolitæ Jesu Societatis causam, a qua potissimum ducta fuerit tanti mali labes, indicavero. Impii enim isti novioris Philosophiæ præcones assidui, quibus, fædere cum Jansenianæ severitatis (*a*) simulatoribus inito, proposita jam dudum fuisset Jesu Societatis eversio, ut armatas Regum Catholicorum manus in eam immitterent, eos, amplificanda eorum Majestate, jure Imperii supra sidera cæli efferendo, artibus suis, simulato boni publici studio, prompto specie tenus in minimos quo-

sque

(*a*) C' eſt proprement la Philoſphie qui par la bouche des Magiſtrats porte l' arret les Jesuites; le Jansenisme n' eu a étè que le solliciteur. Alembertius in hiſt. deſtructionis Soci Jesu Edit. 1. pag. 191.

sque Regum nutus obsequio, propulere, ut Jesu Socios indicta causa, inconsulto Clemente XIII., atque adeo reclamante, multis in locis per summam vim opprimerent; deinde intentatis minis, profuso in furorem ærario, Clementem XIV. diu eorum impetu eludere conatum, in eas angustias redigerent, ut, cum alibi passim Jesu Societatem extingueret, cum in *Alba Russia* contra sententiam, contraque edictum Catharinæ II. Imperatricis abolere conaretur. In quo quidem cum æquo ampliora jura rei publicæ Moderatores sibi vindicarent, necessum illis omnino fuit, ut malis artibus mutos juris utriusque peritissimos Doctores, qui nollent rotunda, quod ajunt, mutare quadratis, efficiendos sibi crederent. Et vero mutos eos habuerunt, quippe qui si modum certum juri Principum palam statuerent, in iram sese potentiæ, legibus omnibus solutæ, incursuros aperte intelligerent; & optime secum iri putarent, si insaniores modo illi Labeone existimati, qui antiqua reipublicæ jura, *arcanæ Augusti Cæsaris potentiæ* obiicere soleret, sine majore aliqua liberæ, veræque sententiæ suæ mercede discederent.

At illi ipsi, qui, Imperii soluti dulcedine ebrii, nihil non potentiæ suæ concessum jure videri vellent, venalia scriptorum, quorum-

dam suffragia sibi comparanda arbitrati; catervas, nescio quas, esurientium, opinor, Græculorum, qui jussi in cælum ipsum pugnarent, pro sese in aciem nullo negotio producebant, qui recoquendis calumniis plus millies dissolutis, qui famosis libellis sine fine recudendis, cum ministris Regiis luberet, pro summa *Regum potentia* contra *Pontificia* jura starent; cum rursus libido alia aliud illis auspiciis faceret, pro *Plenitudine Apostolicæ Potestatis* contra *Regiam Majestatem* in aciem descenderent, secum ipsi adversis frontibus digladiati.

Nihil sit opus, opinor, librariorum istorum gladiatorum & pugnas, & palmas lemniscatas commemorare: plena sunt illis bibliothecæ, plenæ tabernæ librariæ, plenæ omnes columnæ, quorum copia cum fastidium estiam hostibus Jesu Societatis attulit tum vero librorum Negotiatoribus nonnullis fortunarum ruinam peperit, cum tineis, & blatis eas merces ad extremum sint domi servare coacti. Parum vero retulit, ut furor ille initio compressus quiesceret, quod Clemens XIII. *juris æqui*, ac moderati servantissimus Pontifex Maximus, infinitæ Principum vel potentiæ, vel licentiæ potius, obviam e loco superiore, ex ipsa Oraculi Christiani Sede iverit, & Jesu Societate denuo confirmanda, & sententiis Regum, in eam dictis reprobandis. Nec

Nec vero multum in eandem rem Catharina II., Russiarum Imperatrix Sapientissima, proficere videbatur, quod juri Pontificio extra terminos suos in moschuanam Provinciam invadere aggresso, Majestatis jura objecerit, dum legitimè vetaret, in *ditione sua* Jesu Socios, *se se invita*, pro abolitis haberi. Qui enim faces subjectas vellent & Sacerdotio, & Imperio impii Philosophatores, negotium ultra fines urgere non desinebant, eo nimirum consilio, ut utriusque potestatis & sacræ, & profanæ jura legitima in communem Populorum omnium offensionem ideo adducerent, quod modum vel a Natura, vel a Deo, vel ab humana Societate definitum excederent.

Possem hoc loco pluribus exitum fraudis philosophicæ, vel exitium potius, utrique potestati partim jam partum, partim supra caput imminens, deplorare, non faciam tamen, ne actum ab ipso Pio VI. sapientissimo Pontifice, fraudes impius Philosophorum sæpe conquesto, agere velle videar.

Illud unum hoc loco ostendere conabor, qui fines in causa Jesu Societatis utrique potestati fuerint legitimi, extra quos omnino non liceret lege agi. Ex quo omnibus appareat, cum multa sibi utriusque potentiæ Ministros præter jus in ea sibi ex Philosophorum votis

ar-

arogasse: tum nihil Clementem XIII. Pontificem Maximum, nihil Catharinam II. Augustam Russiarum Imperatricem, in ea tuenda incolumi sibi non jure suo sumpsisse.

§ I. *Ex communi jure Principatus salva Jesu Societas in Alba Russia.*

EX iis quidem omnibus, quæ sunt alibi a nobis ad historiæ fidem potissimum exposita, nullus quidem dubitandi locus relinquitur, quin tu, mi suavissime Bolane, illa duo in animo constituas: alterum, in Alba Russia sub auspiciis Augustissimæ Imperatricis salvam, atque incolumen manere Jesu Societatem, telis omnibus inimicorum frustra ad internecionem impetitam: alterum, non sine singulari quodam æterni Numinis præsidio, & Augustissimæ Imperatricis sapientia Russios illos Jesu Socios tam potentes manus, tam infestas, tam longas, tam armatas, non tam Regum, & Pontificum, quam utriusque Principatus Consiliariorum, effugere hactenus potuisse.

§. II.

§. II. *Suprema Poteſtas jure & conſuetudinis, & ſalutis ſuorum tuendæ, & innocentiæ vindicandæ, decretis Pontificiis de diſciplina per ſe varia intercedere poteſt.*

Illuc, ego potius jam te vel volentem ducam vel invitum etiam attraham, ut mihi concedas, Catharinæ Auguſtæ licuiſſe, & pro Jure Principatus Supremi refragari Clementino decreto, & Jeſu Societatem ſartam, & tectam in Imperio ſuo tueri, & binos ei Romanos Pontifices, Clementem XIV., & Pium VI. ſive gratificatos, ſi mavis obſecundantes, prudendentiſſime Jeſu Socios in priſtina religioſi juris poſſeſſione reliquiſſe.

Quam ego hic vultum tuum coram aſpicere velim, cum hæc verba leges, quæ a me tantum non impio calamo ſcripta fortaſſe ſuſpicabere, quaſi fas, juſque ullum ſinat auctoritati Romani Pontificis intercedi. Unum ego pro noſtra amicitia ante omnia a te velim, ut, dempta tantiſper iſta de ſupercilio tuo teterrima nube, me amice de jure ſupremæ auctoritatis diſputantem audire ne graveris, ſive ea ſit *Sacerdotii* ſummi in Eccleſia poteſtas, ſive *Imperii* in Civitate legitime conſtituta ſuprema Majeſtas: Mihi enim plane per-

persuadeo, fore, ut tu Moschuanos illos Jesu Socios vivos agnoscas apprime religiosos, qui nullam juris pristini partem amiserint, qui in eodem statu permaneant; si me modo disputantem æquo animo audieris de jure Supremi Principatus, per quod iis licuerit de conditione pristina prorsus non excidere. Quam totam disputationem ad hæc capita redigendam arbitror.

Primum enim ex antiquissima Principis *consuetudine* rejiciendorum Romani Pontificis hujusmodi decretorum, quæ illi sint noxia, argumenta repetam. Deinde ex ipso *Principis jure* certissimo, quo is possit, aut etiam debeat, hujusmodi decreta Romani Pontificis sibi injuriosa repudiare, disputabo. Tum de jure Principis legitimo, quo *sententiam Romani Pontificis* in cives suos *innocentes latam*, justissime repellat, pro Russis Jesu Sociis causam agam. Postremo ex jure Principis evidenti, quo is impedire queat, quominus hujusmodi leges Pontificiæ *bono* suorum Popularium contrariæ, ad effectum deducantur, rem totam apertissimè pro demostranda Moschuanæ Jesu Societatis incolumitate conficiam.

§. III.

§. III. *Ortus ejus Consuetudinis, per quam, suprema Potestas decreta Pontificia, prius discussa, civibus indicit.*

AT primum quidem omnium, si tibi ego probavero, mi suavissime Bolane, ejusmodi consuetudinem refragandi Pontificiis decretis, disciplinam Ecclesiæ mutabilem moderatis, ubique in Ecclesia vigere, quæ consuetudo, & legi contrariæ, si qua forte fuerit contraria, deroget, & ipsa, legis vim sortita, verum jus secum afferat; profecto mihi illud concedas, oportebit, & Russiarum Imperatricem ea consuetudine rectè uti potuisse, sine injuria Romanæ auctoritatis; & reipsa ea consuetudine usam, vim omnem Clementini decreti contra suos Jesu Socios enervasse, & eosdem in eo, quo prius fuissent, statu in ditione sua conservasse.

Jam a te quæro: Quidnam horum omnium inficieris? Nihil enim video, quod sine insigni vel impudentia, vel temeritate possit aliquis inficiari, Primum enim ex monumentis historiæ, ex scriptis doctissimorum Juris pontificii consultorum apud omnes constat, non heri, non nudiustertius, sed multis ante sæculis in usu fuisse, ut ea Pontificia decreta de disciplina variabili, quæ quodam modo in ali-

qua ditione bono Civitatis publico incommodatura essent, in examen vocata, non prius vim aliquam in ea nanciscerentur, quam auctoritate Supremæ Potestatis in ea Civitate rata fuissent, atque comprobata.

Nihil, opinor, opus erit, multa nobis evolvere historiæ Ecclesiasticæ volumina, neque istorum rabularum, istorum fori Ecclesiastici legulejorum more, integras paginas infarcire. Si vacas, si lubet etiam, fac consulas virum clarissimum Jacobum Zallingerium Sacræ Theologiæ Doctorem & in Liceo Catholico Augustæ Vindelicorum ad S. Salvatoris Canonici Juris publicum Professorem, in Institutionibus Juris Pio VI. nuncupatis anno 1788. lib. 5. de jure Ecclesiastico pag. 832. Ejus omnis doctrina huc redit denique: I. Ante schisma, sub Urbano VI. anno 1378. exortum „ nullum Placeti Regii (sic planius, quam latinius solet loqui Zellingerius) vestigium in historia deprehendi. II. Illi ipsi Urbano VI. visum fuisse per necessarium, ne ab Antipapis, neve ab eorum Asseclis, fraudes Ecclesiæ fierent, ut de Constitutionibus Apostolicis, an legitimæ forent, atque a vero Pontifice proficiscerentur, Episcopi ante judicarent. III. Principes quoque, ne Populi a Pseudo Pontifice deciperentur; cavendum sibi duxisse Bullarum examine. "

Quod

Quod sitne ab omni parte probandum, nostra hic nihil interesse arbitror.

§. IV. *Quod Decretorum Pontificiorum genus rite a Magistratu Civili liceat examinari?*

EQuidem Zellingerio, sine faſtidioso diligentioris inquisitionis tædio, hoc totum de origine Regiæ auctoritatis sive veniæ, sive *Placeti* (si musis latinis placet) *Regii*, libenter dederim. Quæ verò de Bullarum examine idem ille dicit, hoc totum esse ejusmodi Sapientissimis Theologis videtur, ut, cum Pontificias litteras in duo genera ita dispartiantur, ut alterum decreta dogmatica ad fidem, & mores pertinentia complectatur: alterum, Rescripta, Consulta, Privilegia, Judicia, leges contineat, quæ disciplinam per se variam moderentur; in altero illo genere per se sacròsancto plane negent, necessario requirendam, non dicam Magistratus existimationem, séd ne Episcoporum quidem ejusmodi acceptionem solemnem, (*a*) atque manifestam ratihabitionem, qua ipsi jure Episcopatus Judices una cum Romano Pontifice in doctrina fidei, & morum

(*a*) V. apud Vivam de Sansens propos. edit. Ferrar 1757. pag. 154: & in queſt. prodrom. num. II.

morum, sententiam suam ferre debeant.

In altero vero genere oeconomico censeant, decreta Pontificia, quæ suspectam fraudem subreptionis merito pareant, ad examen Episcoporum, sive Ecclesiæ Præfectorum, (cum jus ea examinandi sit vi sua religiosum *(a)* & sprituale) primo esse referenda: Deinde verò & ipsa decreta, si prius in consilio publico a Magistratibus discussa, nihil bono publico incommodent, nihil juri officiant, nihil Majestati detrahant, nihil eorum iudicio privilegiis Civitatis derogent, Principes debere, aut saltem posse, recte, atque ordine Civibus suis proponere.

§. V. *Tacita Pontificis voluntate Ea examinis Consuetudo ubique Gentis Christianæ viget.*

Atque hoc totum de origine hujusce consuetudinis, de doctrina etiam Theolgorum, qui subtilius in ea versentur, tantisper mihi prætermittendum existimo, ad ipsos Romanos Pontifices te, mi Bolaue, revoco, quorum tacita voluntate aperte videas, eam consuetudinem vim legis maxime ratæ in Ecclesia hoc tempore obtinere.

Quid

(a) Apud Dianam in summ. v. Princeps. num. 10.

Quid enim? Nonne Romani Pontifices planè intelligunt, illud institutum esse in omnibus Imperiis, quae auctoritati Ecclesiæ Romanæ acquièscunt, in Hispania, in Gallia, in Germania, in Belgio, in Lusitania, in utraque Sicilia, ut sua decreta a profano Magistratu da more discutiantur, si quid contra jus Imperii habeant?

Nonne illi ipsi Pontifices vident, illa ipsa decreta, quæ unius sunt variabilis disciplinæ, a Concilio profano in examen revocata, sive visa fuerint Reipublicæ omnino incommoda, planè abrogari, sive quadam tenus non profutura apparuerint, ex parte illis derogari; nunquam sine consensu Supremi Magistratus civilis, nunquam sine ejusdem & venia, & auctoritate, & edicto ad exitum deduci? An verò Romanos Pontifices latet, in ea esse sententià omnes illarum ditionum Cives, sese nullis hujusmodi teneri Pontificis decretis, quæ auctore Magistratu politico non sint de more vulgata?

Quin etiam Romani Pontifices plane vident, Cives illos in ea idcirco esse sententia, quod ita & Doctoribus Theologis, & Juris utriusque Consultis videatur, Romana decreta ejusmodi sine illa civili approbatione, vim in iis Provinciis Christianis legitimam non obtinere; ut nemo prudenter dubitare possit, quin cum

Roma

Roma sciens, & prudens in ea parte taceat; consentire liquido videatur. (*a*)

§. VI. *Vis ejus Consuetudinis insigni facto illustrata.*

Neque vero ea jam vulgo recepta consuetudo vim tantum suam in his quotidianis Romanæ Curiæ decretis obtinet, sed in aliis etiam per se majoris momenti valuisse ex historia ipsa apparet. Pius quidem IV. Pontifex Maximus gravissima illa Constitutione (incip. *Benedictus Deus*) anno 1564. universo Orbi catholico edixerat, ut Concilii Tridentini decretis omnes obtemperarent. Ejusmodi Constitutioni cum in Galliis esset a Rege ex parte quadam intercessum, ibi multos sanæ annos aliqua concilii Tridentini decreta, ad disciplinam pertinentia, ideo non observabantur, quod ibi per supremum Magistratum nondum fuissent admissa; etiamsi Clerus Gallicanus semel atque iterum binos ad Regem Episcopos delegasset, qui ab eo peterent, ut salvis

(*a*) In memoriam revocentur, quae alibi diximus de Philippo II. Hispaniarum Rege, qui bina decreta abolitionis Fratrum S. Joannis Dei rpeudiavit ſine ulla contradictione, & offenſione Aulae Romanae.

vis libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ea decreta rite indicenda curaret.

In eo Ecclesiæ Gallicanæ statu cum Henricus IV. a Clemente VIII. Pontifice Maximo solvi iis sese pœnis, sive censuris peteret, quibus ipse impietatis hæreticæ reus sese obstrinxisse fatebatur, eam a Pontifice Maximo veniam cum eo obtinebat, ut Tridentini Concilii decreta Rex in Galliis rite promulgari pateretur, e quibus tamen, volente ipso Pontifice, reque ipsa monstrante, ea exciperet, si qua essent, quæ Regni tranquillitatem turbare possent, adeo Clemens ipse contrariae consuetudinis robur agnoscebat. (*a*)

Henricus quidem, neque tum datam Clementi fidem praestitit, neque in Galliis ad hanc memoriam rite sunt ea decreta in morem deducta, quod non sint adhuc auctoritate civili denunciata. Quæ res plane conficit, sine assensione politica sine consensu supremæ Potestatis decreta Pontificia in rebus Ecclesiæ œconomicis neminem obligare.

§. VII.

(*a*) Ex hiſt. Eccl. Nat. Alex. tom. 8. disert. 12. p. 679. edit. Paris.

§. VII. *In Polonia jam pridem ea consuetudo valebat .*

ATque his institutis ita passim usurpatis ; ita ubiqe locorum cognitis, ut quotidie ab omnibus frequentari vulgo cernantur ; non video, quid contra communem usum , contra constantem consuetudinem , mi bone Bolane, respondere possis . An illud dicere audebis , in aliis Christiani nominis Provinciis eum usum legitimum esse, ut decreta Pontificia sine civili approbatione non valeant; in Polonia verò atque adeo in Alba Russia, id ipsum: si de Societate disceptetur , in usu legitimo non esse ? Quod sæpe te esse dicturum , mihi venit in mentem suspicari cum videam , quæ ubique Gentium jura valeant, ea in causa Societatis nusquam valuisse .

Age verò videamis , quid juris in Polonia tota , atque adeo in Alba Russia , jam antea fuisset , imperantibus Poloniae Regibus ; & quid juris tum esset , cum Romæ Clementino decreto Jesu Societas ad exitium vocabatur . Jam mi Bolane , quid mihi in hac parte opponas , si ego tibi demonstraro , in Polonia jam pridem in usu illud institutum fuisse , ut sine publico , sine politico , sine civili jussu nulla Romana decreta , quæ unius sint disciplinæ va-

variæ, robur ullum obtinerent? Quamquam mitto decreta alia, ad illa te nominatim voco; quæ ordini religioso dissolvendo sint Romæ edita.

Nunquam ne aut ipse per te legisti, aut fando commemorari ab aliquo accepisti id, quod in omnium ore versatur, ordinem Scholarum Piarum Romæ ab Innocentio X. Pontifice Romano 17. Martii 1646. extinctum, in Polonia vitam, statumque suum pristinum idcirco, servavisse, quod Wladislaus IV. Rex Poloniæ decretum illud, repudiatum a se, omnino in Polonia promulgari vetuisset?

Quin etiam, mi Bolane, quid mihi rursus opponas, si ego tibi demonstraro, in Polonia illud institutum valere hodie, illam vigere consuetudinem, ut hujusmodi decreta Pontificia plane nulla sint, si auctoritate, si approbatione careant politicæ Potestatis? Atqui paulo post nos audiemus, (*a*) Regem ipsum Stanislaum Poniatovvuskium conceptis verbis illud in comitiis novioribus anno 1791. testificantem. Et vero quis est, qui nesciat, in ea Poloniæ regione, quæ attributa est Imperio Austriaco quo tempore Alba Russia Catharinæ Imperatrici cedebat, eam consuetudinem vigere?

 Ne-

(*a*) Adnot. VII. pag. 281.

Neque tu ipse ignoras, in pactis conventis (*a*) ex fœdere icto anno 1773. pridie idus Septembris convenisse, ut quidquid Rex Poloniæ Juris in Alba Russia habuisset, id totum Imperatrici Russiarum concederet. Quod quale totum esset, alibi a nobis pluribus dicetur.

§. VIII. *Sine injuria Catharinæ Augustæ usus ejus Consuetudinis nequit interdici.*

QUæ cum ego mecum paulo attentius cogito, non possum mirari satis illud injuriæ & manifestæ, & absurdæ genus, quod non Romani quidem Pontifices, qui tacendo satis clamabant, sese nolle obviam Catharinæ Augustæ ire, sed quod Aulæ Romanæ Ministri, quod Quinqueviri Purpurati, quod commentariensis Pontificius Pallavicinius, quod Archettius Nuntius Varsaviensis, quod Tovvianskius, Episcopi Ulnensis Suffraganeus, quod Mallensis Episcopus, & Albæ Russiæ Vicarius Apostolicus, Russiarum Imperatrici in Alba Russia inferre moliebantur, in cujus ditione, non dicam sine illius voluntate, sed contra illius & Imperium, & edictum contenderent

(*a*) Hic Artic. II. pag. 201.

derent, Clementino decreto neque accepto, neque probato, neque politico jussu proposito, Jesu Socios potuisse exauctorari: quasi verò aut minus Catharinæ II. juris in Alba Russia esset, quam quantum semper in Polonia Regibus fuisset, aut Romanæ Curiæ Ministris plus in Imperatricem Russiarum, quam quantum in alios catholicos Principes sit juris esse deberet.

Est enim vero modus omnibus in rebus; sunt & auctoritati Curiæ Romanæ in disciplina regenda certi fines, extra quos si Roma vagari audeat, rursus Bernardum audiet, jure suo monentem (lib. 3. de consid. ad Eugenium III. in re simili) Erras si, ut summam, ita & solam institutam a Deo Apostolicam potestatem existimas . . . quid fines alienos invaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?

Quare si Augusta Imperatrix ex jure legitimæ consuetudinis, & ubique in Ecclesiæ Romanæ Provinciis maxime ratæ & in Poloniæ ipsa jam ante rite usurpatæ, Clementinum decretum repudiandum censuit, ut reipsa justissimis de causis censuit repudiandum, quas paulo post in omnium oculis defigemus; profecto in Alba Russia eo est & jure, & statu, & conditione, qua ante decretum ibi Jesu Societas fuisset.

§. IX

§. IX. *In causis Promiscui Juris Opus est utriusque Potestatis & Pontificiæ, & Politicæ consensu.*

AC ne quis in hac Regum, summorumque Populi Christiani Magistrorum consuetudine, qua Pontificiis solet decretis intercedi, vulgarem infimæ plebis, quæ non tam ratione, quam instituto ducitur, sensum reprehendat; paucis illud mihi dicendum esse videtur; quo jure, quo argumento, qua ratione, qua demum causa tota hæc solemnis hujus moris ratio, ubi de ordine potissimum aliquo religioso sive exterminando, sive extirpando controversia sit instituta, innitiatur: Nec enim a Nobis suscepta pro Moschuana Jesu Societate Apologia postulat, ut de universo hoc jure Pontificiæ rogationis antiquandæ pluribus in commune disputemus.

Quoniam vero hujusmodi sive Collegia, sive corpora, sive Ordines in Ecclesia religiosi ejus sunt, ex communi Jurisperitorum sententia, conditionis, atque naturæ, ut promiscue utrique Majestati & Politicæ, & Pontificiae sint subjecti; alteri in rebus quidem civilibus, atque humanis; alteri vero in rebus ecclesiasticis, atque divinis, plane eritnobis videndum, quid in religiosa Collegia juris, quid auctori-

tatis,

tatis, utraque illa potestatis possit sibi legitime vindicare, ubi de illis potissimum vel in exilium mittendis, vel omnino dissolvendis agatur.

Ego primum omnium pono; in hujusmodi causis per se promiscuis, sive ancipitibus, (mixtas vocant), neutri illarum Potestati jure suo licere, altera penitus inconsulta, neque corpòra religiosa in exilium propellere, neque domi funditus extirpare. Quid ita vero in ista *plenitudine Potestatis* Apostolicæ, in ista liberrima *œconomia Majestatis Politicæ*? Quia neque Plenitudo Apostolicæ Potestatis jus Politicæ Majestatis imminuere; neque rursus Majestas politica jus Apostolicæ Potestatis a se circumscriptum lædere, ne dicam plane enervare, legitime potest. At ordo, inquis, religiosus in fide est Potestatis Apostolicæ? Esse profecto tibi concedo, sed ita ut non desinat esse in potestate, ac tutela politicæ Majestatis. Ordo religiosus, inquam ego, est in ditione, atque Imperio Majestatis politicæ; tu esse profecto mihi concedes; sed ita, ut esse simul pergat in obsequio, & præsidio Potestatis Apostolicæ. Jam quid in eo miri esse potest? Ut enim unus, idemque Vir religiosus & religiosa officia Pontifici Romano, & politica obsequia Magistratui Civili præstare

debet,

debet, quippe qui & religioſam, & civilem perſonam unus gerat; ſic in illum unum, qua religioſum, ſuum ſit jus Apoſtolicæ Poteſtatis, in eundem qua Civem ſuum ſit jus itidem Politicæ Majeſtati.

§. X. *Neque Plenitudo Poteſtatis Apoſtolicæ Sola, Neque Suprema œconomia unius Politici Imperii, rite potuit Jeſu Societatem abolere.*

JAm tu, mi Bolane, quò res haec tota pertineat, aperte vides; nec enim quod commune ſit omnium Ordinum religioſorum, id ad Jeſu Societatem pro rata parte pertinuiſſe inficiaberis, cum Paulus III. eam Societatem, Jeſu nomine inſignitam, religioſis Eccleſiae Ordinibus annumerandam decreviſſet; (*a*) Ergo illa Jeſu Societas in Eccleſia rite ab initio inſtituta, ab omnibus deinceps Romanis Pontificibus ante Clementem XIV. probata, ab ipſo Concilio Tridentino laudata, per omnes, non Chriſtiani modo orbis, ſed pagani quoque regiones longe lateque diffuſa, ubi conſenſu, atque auctoritate Imperii politici in una aliqua ditione civitate donaretur, ſimul pontificis

(*a*) Conſtit. incip. *Regimini* die 27. Septemb. 1540.

cis Romani auctoritati. ac fidei, simul supremi Magistratus in illo Imperio tutelae, dominioque committebatur; ut pariter & Pontificia, & Politica Potestas sua in illam Jesu Societatem jura obtinerent; pariter ipsa Jesu Societas & Sacerdotio, & Imperio sua ita deberet officia, ut quae essent Dei, Deo, quae Caesaris essent, Caesari legitime redderet. Quae si quis non agnoscat, idem alterutrum erret necesse est, ut aut Romanum Pontificem sibi fingat unum Principem Politicum, aut quamvis Politicum Principem summum Civitatis suae Pontificem mentiatur.

Ventum est jam, opinor, ad arcem nostrae hujus gravissimae controversiae. In discrimen adducatur Jesu Societas; ne male aliis ordinibus religiosis videar velle ominari; Sint, qui illam in exilium ejicere; sint qui in extremam perniciem adducere conentur: Quaero ex te, quo sit in ea causa agendum jure? Plenitudo sola Apostolicae Potestatis de Jesu Societatis. fortuna constituet? At in eo jus laedetur Majestatis Politicae, quae domicilium, & Civitatem Societati dederit. Majestas una politica Jesu Societam sententiam ferat? At ea sententia in jura Potestatis Apostolicae incurret. Quid? Quae obique jure naturae semper valuit, non hic valebit illa Sententia (Tob. 4. v. 16.)

Quod

Quod ab alio oderis fieri tibi, *vide ne tu aliquando* alteri facias? Hoc, si duce natura, si religione magistra, suam in privatis vim tenet, cur in Personis publicis non valeant? Cur magna illa nomina *Plenitudo Pontificiæ Potestatis*, *Suprema illa Majestas œconomica* juri non instituto, sed insito, juri non arbitrario, sed naturali, tenebras offundant? An verum, rectumque videbitur, si ita dicatur? *Quod ab alio* privato *oderis fieri tibi* privato, *vide ne tu aliquando* privatus *alteri* privato *facias*? Sin hoc ipsum illo alio dicatur modo; *Quod ab alio* Principe *oderis fieri tibi* Principi, *vide ne tu* Princeps *aliquando alteri* Principi *facias*, jam perversum, jam iniquum, jam falsum videbitur?

§. XI. *Inconsulta*, *& invita Imperatrice Catharina II. non rite licuit Clementi XIV. Moschuanos Jesu Socios abolere.*

QUid ergo, inquis, nunquam ne Potestatum alteri sine alterius venia licebit in Ordinem religiosum gravius aliquid statuere, ubi de exilio, ubi de abolitione agetur? Enim verò nunquam omnino, mi Bolane, licebit sine notitia, sine consensu expresso, legitimoque in re maximi momenti agere. Sit, si

si ita tibi fingere libeat, periculum in mora; & magnum, & omnino evidens; sit in præpropera festinatione salus Reipublicæ sita; Sit eo res jam adducta mali, ut ad illud extremum sit deveniendum, ut qui cum Imperio sint, videant, ne quid respubl. detrimenti capiat: Quid in ea causa erit alteri Potestati agendum? Res pro se ipsa loquitur: ex alterius Potestatis consensu ita altera Potestas sibi in re præsenti consulat, ut præcluso statim aditu imminenti malo, ex communi postea jure de ordine religioso (*a*) statuatur ex reg. 29. in v. Decret. *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*.

At proh Sanctæ Temidis jura! Proh Divum hominumque fidem! Quid huic rei simile in exilio Sociorum Jesu, quid huic malo proximum in abolitione Jesu Societatis contigit? Ubi erat in procrastinatione, in deliberatione diuturniore, in consultatione utriusque Potestatis periculum? Utrumne salus, an ruina potius, Reipublicæ sita erat in festinato Sociorum Jesu exilio, non petita prius a Romano Pontifice venia, & consensu? in properata Societatis abolitione, non consulta prius, non consentiente Politica Potestate?

D Hic

(*a*) Apud Dian. in Summ. v. *Princeps quoad Eccl. num. VI.*

Hic non equidem querelas omnium bonorum iterabo, qui hæc tanta, tam multa, tam late patentia, tam omnium confessione deplorata rei & politicæ, & Christianæ detrimenta, quæ hodie in ista dissoluta Civium disciplina, in ignoratione turpi bonarum artium, in luxuria Civium passim dominata, in eversione plurimarum apud paganas gentes Ecclesiarum, in penuria apud alios populos Sacerdotum, in orbitate apud exteras Ecclesias Parochorum, partim Jesu Sociorum exilio, partim Societatis abolitioni in acceptis referenda esse confirmarunt. Sed nihil ego tale in oratione mea pono.

Quo jure Clemens in Alba Russia, non præmonita, non consulta prius Catharina Augusta, Jesu Socios illius Imperio subjectos, illius fidei traditos, illius potentissimæ tutelæ commissos postulet abolere? Nimium illi Russiarum Imperatrici maximæ, non per Romanos Internuncios prius conventæ, non sententiam suam de suis Jesu Sociis rogatæ, æqui bonique erant ferendi imperantes sibi per Clementem XIV. isti Borbonici, ac Brigantini Scribæ Regii imperiosissimis istis verbis (§. *Tot itaque*) Brevis *Societatem extinguimus, & supprimimus:: domos, Scholas, Collegia . . . quæcumque, QUAVIS IN PROVINCIA, REGNO, ET*

DI-

DITIONE EXISTENTIA. Quasi vero si quid a Romano Pontifice armatis precibus aut libeat, aut liceat aliis Principibus extorquere; id totum æquo animo Imperatrix Augusta Russiarum ferre debeat, modo per Garampios, per Pallavicinios, per Quinqueviros Purpuratos in Imperio suo contra jura Supremi dominii indicatur; aut quasi illa illud & juris publici, & Pontificiī effatum ignoret. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*.

§. XII. *Exemplo Ludovici XV. Regis Gallorum jure licuit Catharinæ Augustæ obviam ire Clementino decreto*.

OMnino in hoc genere ea est omnium imperantium ratio, ac sententia, ut si quid in sua ipsorum ditione, in suos cives, ipsis ignaris, ipsis non assentientibus, ipsis non rogatis sententiam a Romano Pontifice decernatur; id totum & repudiandum, & impdiendum summi Magistratus arbitrentur. Non longe abiero. Ludovicus ille XV., qui Caroli III., familiari fœdere sibi conjuncti, rogatu abolitionem Jesu Societatis postulavisset, ubi vidit Clementem

XIV., praeter morem in Galliis legitimum, non ad se unum direxisse decretum de Jesu Societate in Gallis abolenda, sed recta suum cuique Episcopo decreti illius exemplum dimisisse; adeo juris sui se renitentem, adeo consuetudinis Gallicani Imperii vindicem sese ostendit, ut decretum totum, a se rejectum, in tabulas de more publicas Regni vetuerit referri (Adnot. 1. Romae.)

Quid hic is responderet, qui infensissimus & Jesu Societati, & Jesu Societatis vindici, Catharinæ Augustissimæ esset si hæc illa quareret: Cur quod impune licuit in Galliis Ludovico Regi, hoc mihi in Alba Russiarum Imperatrici non liceat? Utri enim injuria facta a Clemente gravior? Illine Ludovico Regi, cui decretum petenti non est de more tralatitio directum decretum, quod ipse postea omnibus Episcopis mitteret; an mihi Imperatrici Catharinæ II., cui non ante sententiam rogatæ de abolitione meorum Jesu Sociorum, ea lex a Pontificis Ministris per vim imponatur, ut decretum Clementinum a me non postulatum, non ante a me discussum, pro rato, pro firmo, pro legitimo domi meæ patiar haberi?

Quod si Clemens XIV. totus a Ludovico XV. repudiatus, sibi postea abstinendum ab urgenda decreti sui in Galliis ratihabitione credidit

etiamsi

etiamsi videret, ibi Jesu Societatem de pristino statu religioso recte, atque ordine non fuisse deturbatam; cur Aulæ Romanæ ministri sibi in Alba Russia, ubi Catharina nec volam, nec vestigium Clementini decreti extare passa esset, non quiescendum in ea causa, non supersedendum ab importuna contensione decreti Clementini indicendi existimabant? Cur Ludovicus jure egisse erit dicendus, Catharina vero injuriæ in Romanam Aulam postulanda?

§. XIII. *Clementis XIII. interdicto patuit sine Romani Pontificis cognitione non esse a Potestate politica Religiosos Ordines exterminandos.*

HÆc adhuc a nobis de jure Principum dicta, quo illis liceat alienæ repugnare voluntati, quando sine ipsorum cognitione Romanus Pontifex gravius aliquid in disciplina constituat; tibi opinor fient multo probabiliora, Bolane, si rem totam a persona Principis politica ad religiosam Romani Pontificis personam velis mecum brevi oratione transferre. Nam meminisse te, opinor, quod paulo ante confirmabamus, religiosa Collegia, ubivis locorum sita, simul utrique Majestati & Pontificiæ, & Politicæ ita esse jure quodam

pre-

premiscuo obnoxia, ut altera Potestas sine consensu alterius in ordines religiosos nihil majoris quidem momenti possit jure moliri suo.

Nunc jam ex te quæro: quid de jure illo Pontificio censeas, quo Clemens XIII. in Carolum III., Hispaniarum Regem, utebatur, cum Hispanos Jesu Socios centum cellis in terram egredi non sinebat, Ecclesiæ toti ea re testificatus, non licuisse Regi Catholicò sine cognitione; sine venia, sine auctoritate Pontificia religiosos illos homines ex Hispania expellere, expulsos inditionem non suam exilii causa immittere? (*a*)

Quamquam quid ego ea in causa judicium tuum requiro, in qua Clemens XIII. est visus omnibus Christiani nominis Principibus jure Carolo III. obvium ivisse, quod sine cognitione Pontificia, sine ejus auctoritate sine venia, ordinem religiosum, utrique potestati ex æquo obnoxium, utrique ditioni, imperioque subjectum, extorrem ex Hispania in fines alienos ejecisset? Cum potissimum illi ipsi Regii in Hispania purpurati, sive mavis, scribæ togati, non ausi Hispanos Jesu Socios in Corsicam deportare, jam finibus Pontificiis exclusos, insciente, & inconsulto Gallo, qui præsidiis

---

(*a*) Adnot. II. inc. De exilio.

sidiis suis oppida Gennuensium in Corsica teneret, in eo injuriam a se Pontifici Romano factam confiterentur, in cujus & inconsulti, & inviti, & repugnantis fines religiosos exules intrudere fuissent aggressi.

§. XIV. *Jure suo Clemens XIII. disentiebat Edictis Regiis sine ratione ulla in Jesu Socios prolatis.*

SEd ego æquitatem in Clementis XIII. Imperio, quo Centumcellis extorres ab Hispania Jesu Socios non recipiebat, pluribus persequi non debeo. Ad illud redeo jure Clementem XIII. obviam ivisse obstinatæ cupiditati Regiorum Ministrorum, qui sine ejus consensu Jesu Societatem expellendam censuissent. Non dicam iterum Ordines religiosos ex æquo utrique auctoritati esse subjectos: non repetam, neutri potestati sine alterius consensu nihil in eos ordines jure licere, ubi de summa eorum re agatur.

De ipso consensu hoc omnibus probatum mihi videor posse dicere, eum & prudentem, & justum esse debere, nisi contra sensum omnium communem illud in causa gravissima probemus: *Sit pro ratione voluntas*. Est summa in Principe vel religioso, vel Politico Ma-

jestas.

jestas. In illo suspici Plenitudo Apostolicæ Potestatis; in hoc suprema Imperii Potestas coli sine controversia debet. Neutra, si Jus Naturæ, si Jus divinum, si Jus humanum consulas, debet esse arbitraria, debet legibus soluta ferri, debet pro libidine imperare. *Rex sum*, ajebat Rex ille Regum Agamenno, ut est apud Horatium (*a*) *& æquam* rem *imperito, ac si cui videor non justus inulto dicere, quæ sentit, permitto*. Utinam quam scite a Poeta hoc totum fingebatur, tam commode illud Jesu Sociis licuisset in eorum gravissima & exilii, & abolitionis causa, ex eodem usurpare Poeta, Ergo *consulere & mox respondere licebit?*

Sed jam ad consensum Principis, & prudentem, & justum redeo. Quæro ex te Bolane, Consensus, cui subsit ratio nulla, cujus causa reddi possit nulla, tibi videtur prudens, an temerarius? Videtur æquus, an injustus? videtur humanus, an immanis? Videtur, non dicam viro Principe dignus sed ne plebæjo quidem alicui male tunicato probandus? Regii Scribæ, Regii consiliarii, Regii Librarii, Regii commetarienses (per istud genus rabulurum forensium tota injuria texebatur in Gallia,

(*a*) Serm. lib. 2. sess. 3.

Gallia, in Lusitania, in Hispania) quid causæ Clementi XIII. asserebant, cur e finibus illis essent Jesu Socii expulsi? Cur Jesu Societas in illorum Regum Imperio esset supprimenda? Illi quidem SSm̃o Ecclesiæ Pontifici licebat, edicta Regia in Jesu Socios legere, quibus cogerentur solum, exilii causa vertere; causam, cur cogerentur, nullam iniis legere licebat.

Quid Clementem illum, mi Bolane, putas cum expulsos Jesu Socios pro Imperio ex illis regnis audiret, ipsum secum cogitasse? Annon ita sæpissime secum, censes, loquutum? Quid istud injuriæ est, Deus bone! Quam ego Jesu Societatem rogatus a Clero Gallicano universo, rogatus a pluribus aliarum gentium Episcopis, paucis ante annis solemni Bulla confirmaveram, quam Bullam fere omnes Christiani nominis Episcopi non probavere modo, sed illustri gratiarum etiam actione exceperunt; Bullam jam ante Collegio toti Apostolico probatam; eam nunc audio e domiciliis suis per vim expulsam, repugnante me, bonis omnibus ejus calamitatem deplorantibus, in exilium ejici? Et quasi parum in eo exemplo sit injuriæ, parum non ferendæ violentiæ, parum profanæ impietatis; Ego præterea Assecларum Regionum non jam libellis supplicibus, non

E jam

jam postulationibus, non via pervulgata, sed armatis precibus, sed intentatis in Ecclesiæ Romanæ ditiones vindiciis, sed erepta Avenionis, & Beneventi possessione, ad consentiendum eorum Imperiis compellor? Age sane Edicta Regia ad trutinam perpendamus. Quæ crimina illis Jesu Sociis in iis objiciuntur, in judicium vocemus. Video addictos exilio viros religiosos, culpam, causam, rationem indicti exilii in iis edictis nullam video. At enim arcana prudentiae politicæ ratio prohibet, eorum exulum crimina in edictis vulgari. Non agam summo cum Regiis Ministris jure. Sit prudentiæ nonnulla fortasse crimina, in aliquo aliquando reo, sileri. At certè neque prudentiæ, neque justitiæ, neque æquitatis, neque juris est publici, crimina nulla in iis, quos exilio mulces externo, palam notari. Non sit citius pro Imperio, pro libidine, pro animi impotentia furere in miseros, quam judicium, quam sententiam in eos proferre, quos sine ulla culpa notanda in exilium mittas? Ne Judæi quidem in Servatorem eo sceleris, atque amentiæ venere, ut sine *titulo* aliquo, per impium furorem quæsito, cruci suffigendum Deum postularent (*a*). Quid

(*a*) Noli scribere Rex Judaeorum, ſed quia dixit Rex ſum Judaeorum Joa. 19. 21

Quid ego fruſtra in Jeſu expulſis Sociis crimina inquiro? quæ ſi ab illa manu non in unam Jeſu Societatem modo conjurata, ſed in Romanam quoque Sedem conſpirante, ulla potuiſſent inveniri; neque ea in edictis arcana Imperii ratione ſilerentur, neque mihi per littera ſaltem non aperirentur, neque in aurem a Miniſtris regiis non aſſiduo inculcarentur. Ego rationem probabilem aſſerenti ſententiæ ſuæ poſſim aſſentiri; cum eo, qui nullam afferat, Ego neque cenſere, neque conſentire, ullo modo potero.

§. XV. *Catharinæ Auguſtæ licet id quod Clementi XIII. in Aliorum edicta arbitraria licebat.*

At vero his ductus invictiſſimis rationibus Clemens XIII. ſemper edicta & Borboniæ, & Brigantinæ Aulæ ſibi rejicienda eſt arbitratus. Non quæram ex te, Bolane, qui tam te religioſum erga litteras in forma Brevis, a Clemente XIV. ad perniciem Jeſu Societatis editas, profitearis, quid de Bulla illa Clementis XIII. cenſeas, qua ab injuriis, a calumniis, a vi, a potentia Inimicorum vindicatam Jeſu Societatem, atque a ſe denuo probatam, confirmabat, hoc potius quæro; licueritne Ca-

tharinæ Imperatrici id, quod licuit Romano Pontifici in edictis alienæ Potestatis repudiandis? Licuit Clementi XIII. ideo rejicere sententiam, in Jesu Socios a Regibus dictam; quod ipse non fuisset consultus, quod causam in edictis regiis non legeret exilii, quod culpam nullam, nulla crimina proferri in reos, & sibi subditos, & innocentes videret. Cur Catharinae Imperatrici non licuerit, Clementinum decretum in moschuanos Jesu Socios, illius Imperio subjectos, totum ideo repudiare; quod ipsa inconsulta; quod in Cives ipsius nullius criminis reos; quod fucatæ pacificationis specie vulgaretur?

Clementi XIII. pro nullis, pro vanis, pro commentitiis sunt jure optimo habita illa Societatis Crimina, quæ latentia in sinu, in mente, in animo Regum, dolo malo in vulgus edi non posse significarentur. Catharina Imperatrix erit reprehendenda, erit accusanda, erit malevolorum sermonibus in invidiam, adducenda, erit sexcenties per fictos rumusculos infra mortuos omnes ab hostibus Jesu Societatis amandanda, si nolit Clementinum decretum in Alba Russia probare, cum ipsa inscia sit in ruinam suorum civium innocentium Romæ editum, cum in eo nullam Sociorum *Russiorum* culpam notari, nulla crimina videat coargui?

Tu

Tu vero vide, mi Bolane, ne, dum uni Clementi XIV. tuo nimis velis videri deditus, alteri sis Clementi XIII. plus nimio infestus; sis Catharinæ Augustæ a præjudicata animi tui opinione injurius. Ego rem totam in pauca contraham, Nihil dico licere in Viros religiosos alteri Potestati, sine alterius cognitione, sine alterius auctoritate sine prudenti consensu, ubi de eorum salute ac fortuna res sit in discrimen adducta. Quod idcirco contendo ne pro jure æquo dominari incipiat libido, ne pro judicio legitimo lata pateat fenestra potentiæ, pateat coitioni, pateat odio, pateat insidiæ inimicorum, qui quo plures, ab initio Jesu Societatis, in eam semper visi fuissent ab studio malarum parsium conjurasse; eo minus æquum videri debuit, Jesu Socios indicta causa, aut in exilium a Principibus ejici, aut ab Aula Romana specioso non tam pacis, quam Licophiliæ, nescio cujus, nomine aboleri.

§. XVI. *Plenitudo Potestatis Apostolicæ, & Majestas Œconomica suis circumſcripta finibus.*

Aduc quid jure Imperii Principibus in causa Societatis licuerit; & in Clemente XIII. Edicta Principum reprobante, quæ sine ejus aucto-

auctoritate in vulgus emanassent, & in Catharina Imperatrice, Clementinam Jesu Societatis abolitionem sine ipsius cognitione decretam, repudiante, sumus oratione nostra persequuti. Ex hoc loco nisi tibi molestum sit, mi Bolane, non tam quid jure suo & plenitudo Potestatis Apostolicæ, & Œconomica Majestas Imperii possint, quam quid debeant ex officio Civibus sibi subjectis præstare, cum de eorum innocentia vindicanda, cum de injuria iisdem intentata propulsanda agitur, pluribus ostendere incipiamus.

Et statim illud ab æquitate tua mihi polliceri posse videor. Te neque Plenitudini Apostolicæ potestatis, quam dominus dedit Petro in ædificationem, non in destructionem, (*a*) neque Majestati œconomicae, quæ tota ad jus naturae sit exigenda, plus esse tributurum, quam unius Numinis omnipotentiæ tribuendum censeant Theologi, qui omnes id totum posse Omnipotentem rerum Dominum negent, quod cum aliis Dei virtutibus, quarum quæque secum sua & jura, & officia ferat, cum Sapientia, cum clementia, cum Justitia, cum bonitate, per se pugnare videatur.

Ergo Plenitudo Potestatis Apostolicæ, ergo œconomia,

(*a*) Quod Paulus ſibi datum Apoſtolo tribuebat. 2. Cor. 13. v. 8. hoc ipsum datum Petro quis inficietur?

œconomia Majeſtatis, jure ipſo naturæ, nihil contra innocentiam, nihil contra ſalutem Reipubl., nihil contra veritatem poſſe dicenda ſunt, niſi Paulo, Gentium Doctori, repugnemus, cujus vere divina erat illa vox: *Non poſſumus aliquid contra veritatem, ſed pro veritate* (*a*).

Quorſum, inquis, tam alte repetita origo auctoritatis & ſacræ, & politicæ? Quorſum? Ut plane intelligatur, cum jure Imperii conjungenda eſſe quædam officia, quæ Civibus ſuis Magiſtratus ipſi ſupremi debeant præſtare. Et ſi verò videam orationi noſtræ latiſſimum jam apparere campum, ubi ſine controverſia poſſet victrix exultare, ſi quæ de officio Moderatoris & ſacræ, & profanæ Reipubl. ſapientiſſimi Viri docuerunt ea vellem recenſere; rem tamen totam ad unam Tullii ſententiam (lib. 8. epiſt. 11. ad Attium) breviſſime redigam „Teneſne igitur, ajebat, Moderatorem iſtum Reipub.; quo referre velimus omnia? Ut enim Gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria, ſic huic Moderatori Reipubl. beata civium vita propoſita eſt " Ergo ſit nobis conſtitutum Moderatoris Reipub. officium in eo ad

(*a*) Cor. 13. 10.

ad summam esse situm, ut beatam Civium suorum vitam efficere conetur, ut dictam sibi ab ipsa Natura illam legem existimet, *Salus Reipubl. suprema lex esto.*

§. XVII. *Suprema Potestas & Pontificia, & Civilis jure suo innocentiam Jesu Sociorum tuebatur.*

Quamquam jam mihi videor, te diutius æquo Bolane suavissime, a causa unius Jesu Societatis ad communem humanæ Societatis vel causam, vel salutem etiam avocasse. Nunc ad rem propositam redeo. Profecto id mihi dabis, ut beata non sit futura civium vita, si illorum innocentia non sit a Moderatore suo contra injuriam munita, si salus illorum ipsorum non sit fidei Imperantium commendata, si vitæ securitas in Civitate non sit a suprema Potestate defensa. Quid vero illud? Nonne in numero sive civium, sive, ut nunc loquimur, *subditorum*, religiosos ordines, Reipubl. rite ad Scriptos, paulo ante reponebamus? Non iisdem religiosis Ordinibus Moderatores publicos esse & sacros, & profanos Magistratus volebamus? Est ergo consequens, ut innocentia religiosi ordinis, ut salus collegii sacri, ut vitæ religiosæ securitas a Moderatore sacro, & civili sit tuenda. Be-

Bene nobis jacta esse videntur Apologiæ nostræ fundamenta, ut jure suo & Clemens XIII. & Catharina II. salvam, & incolumen Jesu Societatem, non modo voluerint, sed iis etiam ex officio supremi Magistratus, veluti justo, pioque bello iis restiterint, qui eam vel ejectam a domiciliis suis, vel domi extinctam, ac perditam concupiverint.

Ut autem rem aliquo ordine prosequamur, id a te quæro, mi Bolane, utrum velis decretum illud Clementis XIV. & haberi, & esse Supremi Ecclesiæ Judicis *sententiam*, qua damnatur etiam in *Alba Russia* Societas: an mavis esse *legem*, qua Pontifex Apostolicæ potestatis plenitudine Societatis extinctionem in Alba Russia conatur? Jam utrum libet tibi eligas, illud fateri omnino debes, Augustissimæ Imperatrici sine ulla controversia id juris esse, ut decretum Pontificium repudiet.

Age ergo; ad orationem dialecticorum, quibus tu sine dubitatione favere solebas, ratione conclusam, Rhetorum phaleris ad populum rejectis, veniamus. Ponamus illud decretum sententiam esse, & sit hæc Præpositio: Moderator supremus Reipubl. & religiosæ, & politicæ, ut ex jure Principatus potest, ita ex ejusdem officio pro viribus debet, innocen-

tiam suorum Civium, sive subditorum ab injusta & sententia, & pœna tueri, si quam per vim videat in eos inferri.

Sit hæc Assumptio: Atqui in causa Jesu Societatis sive in exilium ejectæ, sive ad abolitionem vocatæ, & Clemens XIII., & Catharina II injustam illis Jesu Socis, subditis suis plane innocentibus, & sententiam, & pœnam ab inimicis per vim inferri videbant.

Sit hæc legitima Consecutio; Ergo & Clemens XIII., & Catharina II. ut pro jure Principatus poterant, sic pro officio ejusdem debebant, innocentiam Jesu Societatis sive in exilium ejectæ, sive in abolitionem vocatæ, tueri, atque defendere.

Hic, & si satis certo scio in propositione nec quicquam te habiturum esse negotii, neque mihi exhibiturum; tamen bonam mihi veniam dabis, si nonnihil in natura, ac ratione Ejus juris, & officii explicanda, quo Moderator reipub: tueatur suorum innocentiam Subditorum, fuerim immoratus. Quale tibi illud jus a Deo concessum fuisse videtur supremæ Potestati, inchoatumne, an perfectum? Nec enim ignoras alterum esse jus appellandi ad vindictam: alterum vindictæ per se repetendæ.

Perfectum dices, opinor, ne totum illud jus sit inane, ne sit per se mancum, atque

impotens

impotens ad beatam suorum Civium vitam, ad innocentium securitatem præstandam. Ergo jus illud perfectum & Clementi XIII., & Catharinæ Imperatrici datum, ad tuendam Jesu Societatis innocentiam, (nam innocentes Jesu Socios & in exilium fuisse ejectos, & a gradu religioso deturbatos, cum sæpe ante patebat, tum in assumptione confirmanda luce meridiana clarius apparebit:) jus ergo illud perfectum innocentiæ tuendæ simul jus erat primum *propulsandæ injuriæ*) hoc est, & repellendæ a suis civibus Jesu Sociis sententiæ, in eos inique latæ, & pœnæ iisdem intentatæ a finibus Imperii sui arcendæ: deinde simul jus erat *satisfactionis exigendæ* ab iis, si qui jura Principatus, si qui etiam Ecclesiastica, & civilia Jesu Sociorum innocentium jura violassent: præterea simul jus erat *reposcendæ in integrum restitutionis*, hoc est exigendæ juris pristini reparationis; & decreti, per quod laesa fuissent jura Jesu Sociorum innocentium *abrogationis postulandæ*: his enim proprietatibus, & virtutibus ornatum sit, oportet jus, quod sit & perfectum nominetur.

§. XVIII. *Ex Sacris litteris valde Principibus jus perfectum pro patrocinio innocentiæ oppreſsæ commendatur.*

Vide vero, quid mihi diſserenti de hoc perfecto Principis jure, quod ad innocentiam suorum Civium tuendam, atque adeo vindicandam, pertineat, repente in mentem, atque memoriam venerit. Memini, me non multis ante mensibus sacræ interesse concioni, quam egregius quidam Orator ad populum haberet. Ille erat ei locus propositus, ut contra calumniatores innocentiæ diceret, quo eum Ecclesiastes, (4. 1.) quem sibi sumpsisset exponendum, deduxerat. Recitarat enim primo hunc illius locum „ vidi calumnias, quæ sub ſole geruntur, & lacrimas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiae cunctorum auxilio destitutos " deinde alterum illum Ecclesiastæ 3. 16., adduxerat. „ Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem. "

Quam vero ille & disertus, & copiosus, & vere eloquens, genera prius calumniandi singillatim, subtiliterque persecutus, in calumniatores non tam declamare, quam e loco superiore & detonare, & fulminare velle videretur; vehementer & ego mirabar, & tu si adfuisses,

fuisses, opinor, miratus una mecum, Bolane, fuisses. Ad extremam vero partem orationis, in qua corruptionem judiciorum, impunitatem mercenariorum judicum, indulgentiam, vel dissolutam potius negligentiam, acerrime conquestus esset, eorum, qui rebuspub. Summa cum potestate præsunt, relicto Ecclesiaste Rege, ad Regem Psaltem conversus, psalmum LXXXI., veluti divino quodam instinctu percitus, cœpit recitare.

Da mihi hanc veniam, Bolane, ut ego, in cujus auribus adhuc Oratoris illius vox resonare horrendum videtur, psalmum illum ipsum ex quo aperte constet, supremæ esse potestatis contra calumniam venire, pauperum injuriæ potentioris eripere, egenum a potentia, dominatione, oppressione divitum liberare, si velit saluti Reipubl. consulere; rursus tibi recitem, non illum quidem simplicem, sed verbis, & interpetrationibus Hieronymi, illius Ecclesiæ Doctoris facile maximi, meliore in lumine collocatum.

Ps. LXXXI. v. 1. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.*

ABrupto huic Davidis exordio non abs re verba Hieronymi subjecero „ Deus dijudicat:

dicat, inquit Hieronymus, quasi Imperator; in medio exercitus dijudicat: Deus largitur Judicibus nomen Deorum, ut largiatur & meritum: Duos istos versiculos, quasi Propheta dixit Ecclesiastes: hoc vero, quod sequitur ipse Deus loquitur per Ecclesiastem ad Judices, hoc est ad Principes populi,, Si Sæculi Judices manifestum est si verò Ecclesiae Judices, de Episcopis intelligamus, atque Presbyteris. "

Vides jam Bolane, ut omne judicum genus & religiosum, & politicum Deus per os Prophetæ allocutus sit. Vide nunc quid Judicibus in universum & politicis, & Ecclesiastici Deus exprobare versiculo altero incipiat.

V. 2. *Usquequo judicatis iniquitatem*
Et faciem Peccatorum sumitis?

HIc, opinor, oporteat, & si omnino non sit opus, Hieronymum quidem audire doctorem; qui dedi, inquit, vobis potestatem in gregem meum, & in populum Dei, debetis judices esse non lupi: quando venerit ad vos judicium non consideratis causam sed personam, ac si dicat: Si venerit pauper habens justum negotium, & venerit dives habens malum negotium. Vos personam aspicitis, non negotium. " Me vero neque addere oportet, neque

neque opus est, Potestatem in gregem Domini esse Pontificis Maximi Potestatem in populum Dei esse Principis supremi, cum res ipsa per se, me tacente, loqui, ipsa per se clamare videatur: Quorum quidem uterque, Judex, neuter vero, lupus esse, natura præcipiente, debeat. Sed pergat Regius ille vates:

V. 3. *Judicate, ait, egeno, pupillo.*
Humilem, & pauperem justificate.

QUi altero versiculo iniqua judicia vel gratiæ, vel potentiae, vel opibus, vel minis Peccatorum prodita, vel etiam per errorem humanum, per incogitantiam, bona fide, vitiata, & corrupta Deus plane damnabat; idem hoc tertio commate eadem judicia revocanda, corrigenda, in integrum restituenda Moderatori gregis sui, Moderatori populi, Principi scilicet & religiosae; & profanae Reipubl. omnino praecepit.

V. 4. *Eripite pauperem,*
& Egenum de manu peccatoris liberate.

NImirum officii sui Supremi Principes multo hic clarius jam commonentur, ut iniqua judicia rescindant, a quocumque prolata. *Vos*

ipsi

ipsi ut interpetratur Hieronymus (edictis) *eripite: cives* . *Vos* (decretis) *liberate* . *Imperator enim potest mutare sententiam*, *Præfectus non potest* .

V. 5. *Nescierunt neque intellexerunt : in tenebris ambulant* .

SI vos, Supremi Principes, animadverteritis, Pauperum Judices in ferenda sententia ambas aures peccatori praebuisse, ambas vestris pauperibus denegasse, atque adeo *nescivisse*; Vos, Principes, cives vestros pauperes eripite. Si cognoveritis in judicando Judices non *intellexisse*, quotiescumque nulla extent acta sive judicialia sive probatoria, per quae veritas, & pauperis innocentia possit declarari vel si ea acta, quae extant (præpostero juris ordine confecta, scilicet post latam sententiam) nullius culpæ pauperem reum convincunt, Vos, Principes cives egenos hoc modo a quocumque Judice damnatos liberate.

Tandem si conspexeritis, Judices civium vestrorum in *tenebris ambulasse*, *tenebrosas sententias pronunciasse* ob causas, & rationes inexplicabiles & alta mente repositas: Vos, Supremi Principes, cives vestros pauperes, & egenos de manu peccatoris liberate.

Quod si Principes humano aliquo respectu

politicis

politicis artibus, occultis machinationibus, privatis rationibus judicium; vel hujusmodi egeno, & pupillo dare omittant; vel hujusmodi humilem, & pauperem justificare vereantur, vel egenum de manu peccatoris liberare negligant; quid fiet denique?

Eodem v. 5. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.*

SEntio adhuc, mi Bolane, vim illius Concionatoris egregii in animo meo dominantis, qui velut Numine divino actus, cœlum cum terra miscebat, divos, hominesque inclamabat, brutam etiam tellurem commovebat, cum illa proxima e Davidis carmine verba inculcaret, *Movebuntur omnia fundamenta terræ*; Cum Hieronymi interpretatione subjiceret? „ *Videte*; Principes mali qualem habeant retributionem propter malos Judices; terræ fundamenta quatiuntur: hoc dicimus secundum litteram, quoniam totius orbis concussio propter malos Principes venit“.

Quæ malorum publicorum genera omnibus acerba, late in omnes provincias patentia, hac ætate passim in terra grassata, ille idem Christianus Orator cum deploraret; ex iniquitate judiciorum, & innocentium oppressione, ex

libidine, ex impotentia, ex socordia Principum profecta ejusmodi esse dicebat, ut ferme miserandam perniciem & Imperii, & Religionis, & Ecclesiæ, instar fluminis in agros, ruptis aggeribus, æstuantis, secum afferrent. Cætera enim hominum pravè, licenter, dissolutè facta, bene quidem moratis civibus odio esse, atque offensioni, reliquis vero liberioris disciplinæ, licentiæque solutioris civibus, omnino non displicere, Judicum verò nundinationem, judiciorum perversionem, innocentiæ depressionem, ditiorum potentiam, pauperum patrocinium abjectum, omnibus hominum generibus, æque bonis, ac malis odium, iram, indignationem commovere.

Quæ, quam ab illo Concionatore eloquentissimo & vere, & scite & nervose dicerentur, etiam ipse tu, Bolane, vel remoto illo studio actionis oratoriæ, possis satis ex iis, vel quæ a me paulo ante dicebantur, vel quæ his miseris temporibus fient, intelligere. Ubi vero ad extremos psalmi illius versiculos orationem, divinioris cujusdam spiritus plenam, convertit Divi boni! quæ dixit, aut quæ tacuit non atticus ille, sed Christianus Orator.

V. 6.

V. 6. *Ego* (Deus est , qui per Davidem loquitur) *dixi Dii estis , & Filii excelsi omnes .*
V. 7. *Vos autem , sicut homines , moriemini & sicut unus de Principibus cadetis .*

QUi ergo Dii estis , pergebat ille Orator ; qui Filii excelsi, qui Judices iniquitatis, qui injusti Magistratus in gregem Domini , qui in populum Dei Principes iniqui , qui innocentiæ oppressores , qui potentiæ alienæ servi ; Vos omnes non modo miseram mortem obibitis , quam vobis vindex innocentiæ Deus , ultor iniquitatis Dominus machinabitur; ,, sed sicut unus de Principibus *tenebrarum* , & sicut ille Lucifer , qui tertiam partem stellarum secum in tartara duxit , de cœlo vestro , de throno Imperii , de solio Majestatis in æternam miseriam cadetis . neque enim frustra ad extremum carmen esse a Davide declamatum .

V. 8. *Surge Domine judica terram quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus .*

HIs auditis erit , mi Bolane , qui dubitet , quin jus perfectum Supremo Moderatori Civitatis sit improbandæ , ac repudiandæ sententiæ alius Principis , qui oppressam velit

 in

in civibus illius innocentiam? qui pœnas ab insontibus per animi impotentiam repetere moliatur? Erit, qui Clementem XIII. accuset, si Edictis eorum Principum refragetur, quibus Jesu Socii, indicta penitus causa, ad meram accusatorum libidinem, solum mutare exilii causa cogerentur? Erit, qui de Catharina II. non bene cogitet, quod Clementis XIV. Decretum, in *Russios* Jesu Socios injurium, in eorum innocentiam pestiferum, illa inconsulta editum, a finibus Albæ Russiæ severissime prohibeat? quasi vero ex præcepto, ex carmine prophetico, ex ore Davidis non esset necesse, & Clementi XIII., & Catharinæ II. egeno, & pupillo judicare, humilem, & pauperem justificare, egenum de manu peccatoris liberare, si conjurati Regum adulatores in Jesu Societate opprimenda ostendere vellent, quantum contra innocentiam illorum Jesu Sociorum, quantum contra omnia jura quamque impune posse viderentur.

§. XIX. *Innocentiam Moschuanæ Jesu Societatis ex Silentio criminum in Clementino Decreto Catharinæ II. patebat.*

CONfirmata jam propositione, ad illam Assumptionem, quam paulo ante usurparam,

ram, volens, ac lubens redeo, & ad leges dialecticas descendo. Ea erat ejusmodi, ut duo illa sibi sumeret, alterum, innocentiam Moschuanæ Societatis, a Clemente XIV. ad abolitionem vocatæ, Catharinæ Imperatrici plane compertam fuisse: Alterum; injuriam factam Jesu Sociis, regiis edictis in exilium propulsis, Clementi XIII. tam clare patuisse, quam clare meridie lucere omnibus semper patuit; nisi si quis Ædipus, sceleris horrore a se admissi attonitus, ipse sibi oculos, ne lucem videret, eripuisset.

Dico igitur: Catharinam II. oculis ipsam suis innocentiam *Moschuanæ* Jesu Societatis, quam e Vaticano colle penitus innoxiam Clemens XIV. fulmine non tam Pontificio, quam regio, non tam Romano, quam Transalpino impeteret, aperte, ac dilucide vidisse.

Hic ergo vereri incipio, ne tu etiam, mi Bolane, eos imiteris hostes Jesu Societatis, qui cum præjudicata, non dicam, opinione, sed invidia, pro noxia, pro scelerata, pro millies condemnata, Jesu Societatem & ipsi habeant, & ab aliis omnibus habendam esse contendant; quique si quando videant, sese ad examen causæ propius vocari, statim obducto supercilio, inflatis ambabus buccis, imperiosa oratione negent, opus esse; patrocinium perditæ

ac

ac derelictæ causæ audire (Adnot. III. pag. *Quod* ne tu.)

Quamquam jam te, mi Bolane, quem veritatis, & innocentiæ amicum, memini me olim cognoscere, omni suspicione libero. Ergo Catharina II. biſariam innocentiam Moschuanæ Jesu Societatis planè intelligebat, vel ex ipsius Clementini decreti verbis, quæ ipsa legeret; vel ex quæstione, quam in eos Jesu Socios instituisset.

Pervenerat in Aulam Petropolitanam Clementis XIV. decretum, eo, si superis placet in *nomine Christi*, ac *Redemptoris nostri*, contra innocentem Jesu Societatem a Garampio missum. Fac, mi Bolane, Catharinam nihil odoratam fuisse multis jam ante annis ejus consilii quod ad Europæ meridiem clanculum texebatur, cujus quidem acta, tabulas, litteras, scripta omnia, ad se opera suorum in aliis Regnis legatorum missa dicebatur habere, ex ordine in scriniis quæque suis distributa fac tamen illam causæ totius ignaram sibi decretum recitari jussisset ubi in illo nullum audisset crimen, quod in Jesu Socios suos caderet; ubi longas illas ambages, de industria in decreto quæsitas nihil ad Albam Russiam pertinentes suaviter risisset; ubi sibi quasi præcipi, non ante consultæ, sentiret; potuit

non

non illa secum constituere, Moschuanos Jesu Socios plecti a Clemente innoxios? Potuit iis religiosis civibus suis, fidei Imperii sui traditis, patrocinium non decernere? Potuit pati, diutius eos fidem suam requirere?

Diceret ipsa secum, si Clemens Romanus Pontifex comperta habet crimina, & multa; & capitalia, quæ mei Jesu Socii in Alba Russia admiserint, cur eorum in decreto isto suo ne minimam quidem facit mentionem? Sin ille nihil criminis habet, quod illis obiiciat, cur tam audacter, tam confidenter, tam in clementer eorum domos, Scholas, Collegia in *Alba Russia mea*, me non conventa, non monita, non consulta, supprimit, atque in ditionem ac potestatem suam redigere conatur?

Esto: Sit novum decernendi genus, quod nos Roma, rerum domina docet, ut crimina in pectore Judex habeat, pœnam in lingua, in calamo intentet; manu statim infligat: Addo etiam: Ejusmodi sint Moschuanæ Jesu Societatis crimina a Clemente dissimulata; quæ non possint sine vulgi offensione in Vulgus efferri. Cur quæso Clemens me non delicta, non commissa, non facinora, non crimina eorum Jesu Sociorum secreto doceat? Et nobis est arcana fides, si quando salus po-

puli

puli silentium poscat : quamquam quæ possunt esse in religiosis coercendis crimina, quæ Judex punire possit, proferre non debeat? Hæc cum Catharina II. vel ipsa secum, vel cum Aulicis suis ageret, nonne tibi videtur, Bolane, compertam habuisse innocentiam illius Societatis suæ?

§. XX. *Suspicio criminis in Societatem Jesu Moschuanam nulla ex Decreto Clementino fiebat.*

At enim inquis, totum illud Jesu Societatis corpus, quod maximi Reges, quod multi Regum Asseclæ purpurati, quod consilia politica jam damnassent, profecto dignum omni malo, pœna que videri Catharinæ II. debuit. Nam quo jure Moschuanos potissimum Jesu Socios illa omni Suspicione criminis absolveret? Regii, ais, Ministri totum Societatis corpus extinctum volebant. Nondum, qui, aut quales Ministri essent, quæro: Sit ita sane: Regii Ministri. An, si illud volebant extinctum, idcirco dicas fuisse extinguendum, etiamsi nulla crimina regii Apparitores proferrent? & in re tam gravi, tam atroci, tam invidiosa illud probaret Catharina Imperatrix in regiis asseclis, in scribis, in commenta-

riensibus

riensibus, in Judicibus emptis, quod in nullo probatur; sit *pro ratione Voluntas*?

Extinctum Societatis Corpus Clemens XIV. cupiebat. Scin, inquam, quam valde cupiebat? Quatuor annos totos Moninium Oratorem ludificatus non nisi extremis minis coactus, manus dabat. At cur ita cupiebat? nimirum quia ita regii ministri, postulabant. Quam enim aliam causam afferebat Clemens? Eodem revolvimur, mi Bolane, sit *pro ratione voluntas*. At enim in decreto Clementino præter impotentem animi libidinem, qua regii apparitores expetebant exitium totius Societatis, erat illa litium ilias, ferme Homerica iliade longior, causarum, controversiarum, criminationum, quæ duo sæcula ab Ignatio Conditore tenuerat, in Jesu Socios decantata.

Nihilne te pudet, Bolane? utrumne sacris litteris, an Clementino decreto nuntium remittemus? Scilicet: *omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur* (2. Tim. 3. 12.) ea est maxime rata Pauli sententia: Qui Jesu Socii, quod pie vixerint in Christo Jesu, assiduam invidiæ insectationem, & persecutionem perpessi fuerint, ii in Ecclesia sunt abolendi? Ea est Clementini decreti sententia? Quid vero sibi volebat Cle-

mentini decreti malitiosus compositor, cum causas, lites, questiones in Jesu Socios intentas enumerabat; sententias Pontificias; judicia Ecclesiastica secundum Societatem in iis causis data, reticebat? Cur nemo unus ausus fuerit, Archiepiscopum Parisiensem refutare, qui quovis Sacramento cum Clemente per litteras contendebat, ni pareret, nullam earum litium in ejus decreto indicatarum, nullam turbam vitio, culpa, opera Jesu Societatis fuisse exortam?

Oh miseram Jesu Societatis conditionem, si Clementini decreti judicio sit standum! Pie vivere volunt in Christo Jesu, idest duce, & auspice Christo, bellum vitiis indicere, qui nomen Ignatio in Jesu Societate dederint? Persecutionem illi ipsi certissime patientur; quid tum? Romano Pontifice judice, si Christo placet, extinguentur? In eo utri fiet injuria? Evangelione jubenti piam in Christo vitam; an Societati ex Evangelii disciplina persecutionem perpessæ, quod piam illam vitam in Christo fuerit secuta?

Equidem cum hæc mecum reputo, haud scio satis, an verius, quam prudentius sit illud a quodam Purpurato Patre dictum, ubi Clementinum decretum legit: quo jure Clemens Jesu Societatem, eodem isti Philosophi

impie

impie politici, abolendum Evangelium censent, cujus occasione tot turbæ, tot calumniæ, tot seditiones, tot tormenta a perditis hominibus sint Ecclesiæ illata. Quid sibi Deus ille magister volebat, cum conceptis verbis negabat, se venisse pacis istius gratia, quæ corruptis hominum studiis lenocinatur? Quid contra aliud ostendebat, cum gladii inferendi causa se venisse ille ipse asseverabat, quod suis discipulis nunquam bene cum amatoribus sæculi, stultis cupiditatum servis, esset conventurum?

§. XXI. *Ex calumniis alibi in Jesu Socios affictis, nihil labis Societati Moschuanæ inurebatur.*

SEd fuerint, si ita tibi libet, in illo Jesu Societatis tam latè patenti ordine nonnulli Socii, qui officio defuerint suo, qui pacem etiam publicam seditiose perturbaverint, qui extrema supplicia promeruerint. Do tibi, Bolane, tantisper, id quod adhuc nullis calumniis, nullis criminationibus, nullis quæstionibus extra ordinem insolentissimis, nullis infamibus libellis, potentissimi Regum & scribæ, & Purpurati Ministri legitime probare potuerunt.

Vide, quæso, quam legem Sancias in hac vitiata Adami Sobole. Si corpora integra vitio unius, aut alterius membri sint ferro, flammaque depascenda: si collegia tota vitio, culpaque paucorum sint dissolvenda; si civitates, in quibus non pauci in legem peccent, funditus sint extirpandæ: jam tu & Collegium illud Apostolicum ab unius proditione damnandum statues: jam Ecclesiam totam a perdita nonnullorum Christianorum licentia abolendam judicabis; jam omnes in Ecclesia ordines religiosos Clementino aliquo fulmine conflagrare oportere constitues. Tu quidem Bolane, cum istis tuis Societatis hostibus, ut voles, statues.

At Catharina Augusta non ita consueverat de Republ. sentire, cum in hac Adami fæce, non in illa ficta Platonis politia, sciret se dominari, de qua vix possum dubitare, quin ipsa pro singulari, ac prope divina reipubl. gerendæ prudentia, secum sæpe novam istorum judiciorum legem irriserit, quam Carvalhius, quam Carvalhiani Ministri in Jesu Socios sint secuti, ut si quis eorum peccasse aliquid in Lusitania fingeretur, illud ipsum omnes Lusitani nominis socii in Brasilia, in India, apud Seras, apud Garamantas peccasse, essent existimandi. Quæ enim suspicio legiti-

ma, quæ ratio probabilis excogitari poterat; cur, si in aliis regionibus non nemo e Jesu Societate peccasse diceretur; si in Asia, si in Africa, si in Meridionali Europa Sociorum aliquis insimularetur, in rempubl. aliquid mali esse molitus; continuo illi Albæ Russiæ Socii, illi antiquæ fidei Sarmatæ, illi in illo Septentrionali Europæ angulo Viri religiosi, conscii ejusdem criminis essent habendi?

Quin etiam Catharina Augusta, ut maxime voluisset, suspectos sibi habere suos Jesu Socios, plane ex Clementino decreto cogebatur divinare, cujus demum Criminis rei, cujus facinoris causa suspecti sibi essent habendi, cum certa crimina a Romano Pontifice nulla proferrentur, ob quæ læthali vulnere Jesu Societatem universam conficeret. Cogebatur sensum communem, jus ipsum naturæ, leges omnes ubique receptas negligere, si vellet cum Clemente sentire.

§. XXII. *Teste Mallensi Episcopo, innocentes in Alba Russia Jesu Socii.*

NOndum venio ad id, quod ante dicebam, Catharinam II. in vitam, mores, institutam, disciplinam Sociorum cum diligentissimè inquisisset, eos in primis Reipubl.

ido-

idoneos judicasse. Quo uno paulo post recitato testimonio, innocentia Moschuanæ Jesu Societatis in oculos etiam eorum incurret, qui nunquam æquis, nunquam non livore cæcis, oculis Jesu Socios aspexerint. Nunc operæ pretium me ante, opinor, esse facturum, ut innoxios, innoxios autem? imo vero probos, bonos, pios, summopere laudandos convincam in Alba Russia Jesu Socios si testimonium homini a Jesu Societatis partibus alienissimo indixero,

Indico ergo Mallensi illi Episcopo dictionem testimonii, qui ex scripto dixisset: *Illos Jesu Socios perrexisse, ut ante vivere secundum aboliti Instituti* leges, (*a*) Fac tu te legas caput illud Epistolæ Encyclicæ, a Cardinali Pallavicinio ad omnes Nuncios scriptæ. Jam ex te. Bolane, quæro; utrum Mallensi Episcopo non credendum censeas; an, cum, illi sit judicio tuo credendum, ideo noxios, maleficos, sceleratos, perniciosos eos Jesu Socios existimes, quod vivant secundum Ignatiani Instituti leges? Quid? Mallensem tu arbitraris, cum maxime perniciem illi Jesu Societati moliretur, mentiri Moschuanos Socios tenaces instituti sui voluisse an disciplinæ religiosæ studio a

se

(*a*) Libr. 4.

se falso commendatos eos Sacerdotes voluisse, quibus intestinum bellum clanculum moliretur ? Ergo vera eos laude Mallensis, cogente ipsa vi veritatis, affecisse, erit dicendus, nisi velimus Institutum, tam sæpe oraculis Pontificiis sancitum, ex impio Senatorum Parisiensium judicio, malum, ac perniciosum existimare. Divi, inquis tam impium judicium prohibeant.

Audio te enim vero, mi Bolane, non æquo tantum animo, sed libenti etiam leges Instituti probantem Ignatiani, secundum quas qui Jesu Socii in Alba Russia vixisse dicuntur a Mallensi, ii innocentes, probi, boni, pii fuisse dicantur, necesse est. Sed ne fidem Mallensis pro testimonio scriptam censeas posse jure elevari, opinor, summum apud te momentum facturum tuum illum ipsum Clementem XIV., qui illum dignissimum judicavit, quem Albæ Russiæ Vicarium Apostolicum cum ordinaria Episcopi potestate præficeret. Certe apud omnes bene in Ecclesia sentientes Pii VI. judicium, quod de Mallensi faciebat, cum Delegatum eundem creabat, cui amplissimam & censuram, & potestatem, & ordinariam jurisdictionem in omnes ordines religiosos in Imperio Moschuano largiretur, ejusmodi habebitur, ut de Mallensi fide, non nisi

per

per summam injuriam, etiam cum de Moschuana Jesu Societate honorificentissimum testimonium dicit, possis male opinari. Quare si judice, si teste, si laudatore Episcopo Mallensi, & Vicario Apostolico *vivere secundum aboliti Instituti leges Moschuani Socii pergebant*; profecto iidem & innoxii, & pii, & religiosi & immunes Ejus confictæ contagionis erant, quam ab Lusitania ab Africa ab America, ab India, aliisque dissitis ditionibus, in septentriones frigidissimos serpsisse paulo ante significabas.

§. XXIII. *Catharina II. testimonio suo innocentes suos Jesu Socios profitetur.*

QUamquam jam nimium diu mihi videor causam illius Jesu Societatis malignius agere, qui Mallensis Episcopi fide ejus innocentiam defendam, cum ejusdem Patronam, Vindicem, Laudatricem Catharinam Augustam, & vere possim, & jure debeam, amplissime laudare. Quid ergo illa Imperatrix Augusta, victrix, triumphatrix, catholici nominis vindex, Romanæ Sedis protegendae studiosissima, de suis Albae Russiae Jesu Sociis sentiebat? Illa Jesu Socios suos, dicebat. (*a*)

iis

(*a*) in epiſt. Aulæ Petropel. ad Archett. lib. 4. hujus Apologiæ.

iis qui publ. rei præsunt, *Jesuitarum operam inspicientibus*, *atque attentè observantibus*, plane satisfacere „ Illa ipsa Imperatrix Prætori suo Zachariæ Czernizevio præcipiebat: *ut diligenter invigilaret* atque inquireret in Violatores, si qui essent, suorum Edictorum, quibus Jesu Societati in Alba Russia caveret; atque in exilium eos ejiceret, atque ex cunctis ditionis suæ terris amandaret " (*a*) Illa ipsa ex scripto Mallensi Delegato Apostolico edicebat „ (*b*) ut Clericos Regulares Societatis Jesu quibus posset, favoribus prosequeretur; ut continuatæ eorum existentiæ prospiceret, impertiendo eis facultatem recipiendorum Novitiorum. "

Illa Oratori suo apud Varsaviensem Regiam, Comiti Stakelbergio in mandatis dabat, ut Nuntio pontificio „ etiam scriptam, si opus esset, sententiam, & voluntatem suam patefaceret, qua salvos & incolumes in Alba Russia Jesu Socios volebat (*c*) " Illa denique Jesu Societatis Augustissima erat Patrona, quam ego ipsius Societatis nomine non dubitem gratiarum actione prosequi ex Poeta latino. (*d*)　　I　　*O*

(*a*) in Epiſt. ad Nerium pag. 9.
(*b*) in litt. Paſto. Mallens. de Tiroc. inſtit. v. in eodem libr. 4.
(*c*) v. in Eodem lib. 4. cujus Apolog.
(*d*) Ænei. lib. 1. v. 600.

„ O sola infandos socium *miserata labores*
„ Quæ nos reliquias Regum , terræque , marisque
„ Omnibus exhaustos casibus , omnium egenos "
Urbe , domo socias , grates persolvere dignas
Non opis est nostræ , Socium Augustissima Mater
Dî tibi si quapios respectant Numina , si quid
Usquam justitiæ est , & mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant . Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula ? qui tanti talem genuere Parentes ?
In freta dum fluvii current , dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa , polus dum sidera pascet ,
Semper honos , nomenque tuum , laudesque manebunt .

Ergo illa Jesu Societatis vel Vindex Augustissima , vel optima Mater , in hac Europæ totius concussione , una omnium Principum domi tranquillissima , belli semper Victrix , Imperii amplissimi Propagatrix , adeo tibi compertam , sibi manifestam , sibi patentem & innocentiam suæ Jesu Societatis , & ejusdem ad Reipubl. utilitatem habebat ; ut nihil pro Ea dubitaverit litteris suis contra potentissimorum

rum Regiorum ministrorum, Sejano illi similimorum, studium, contentionem, factionem, conjurationem denique venire. Sed de his alias lib. 4. hujus Apologiæ.

§. XXIV. *Nihil erat, quare Clemens XIII. Edicta Regia in Jesu Socios probaret.*

Ergo jam plane ejusmodi Catharinæ II. jure, quo Clementis XIV.! decretum a jugulo illius Jesu Societatis removerit a nobis demonstrato; illud modo restat, ut nonnulla de æquissimo jure Clementis XIII., quo idcirco Edicta in Jesu Socios, a Regiis Ministris profecta, repudiabat, quod innocentibus viris religiosis, aqua, & igni interdictum pro Imperio, non pro merito causæ, videret, in præsentia dicamus, quæ prior pars erat illius nostræ assumptionis.

Jam me rursus res ipsa, mi Bolane, quod tute, etiam me tacente, intelligis, plane cogere videtur, ut Jesu Socios & Lusitanos & Hispanos, & Gallos, & Italos fuisse Clementis XIII. fidei commissos, & auctoritati subjectos, obiter tibi inculcem, in quos scilicet viros religiosos politica Potestas sine auctoritate Pontificia nihil majoris momenti posset legitime constituere: Nunc si molestum non

 est,

est, fac tibi vel relegas, vel certe in memoriam, sæpe a te lecta prius, illa Regia edicta revoces, per quæ Jesu Socii extorres patria fiebant. (*a*)

Quid quæso, o Bolane, in istiusmodi regiis consultis erat, quod Clemens XIII. sequutus, etiamsi in illis, & invito, & inconsulto Romano Pontifice, de viris religiosis tam graviter constitutum fuisset, posset ex æquo, & bono penitus ea non improbare? Quæ in illis edictis notantur crimina, ab illis Jesu Sociis in exilium ejectis admissa? Nulla. Quæ formula juris communis in causa tot exulum religiosorum dicitur in edictis fuisse servata? Nulla. Quæ instituta ex legibus quæstio? quæ accusatorum actio? Quæ causæ dictio? quæ criminis purgandi permissio? Quæ Jesuitarum, vel privata, interrogatio, aut confessio? Nulla

Esto: In sententia ferenda libuerit Regibus nihil rationis, nihil argumenti subiicere, quod ne Catoni quidem Censorio jure esset permittendum,

(*a*) Edictum Ludovici XV. mense Novembri subscriptum, & in publicas tabulas relatum die 1. Decemb. 1764. quos Suos Societatis subditos ad ſtatum Presbyterorum Sæcularium sub obedientia præſtanda uni loci Ordinario, cui eam non voverant, reduxit. Edictum Caroli III. die 2. Aprilis 1767., & Epiſtolæ nomine Regum ad Clementem XIII. extant in hiſtoria anni typis Pitterianis pag. 104. Edictum Joſephi I. datum 3. Septembris executioni mandatum 16. ejusdem menſis, evulgatum 4. Octobris 1759.

tendum, ut sine elogio censuræ, infirmæ classis quemquam ignominia afficeret. Fuerint Regii Ministri pro Regio Supercilio laconicæ brevitatis imitatores; ex formula tralatitia dixerint, opinor, illud unum: *Jesu Socios videri fecisse*, quod exilii poena multandum judicassent. Ne istud quidem in edictis comparebat. Et Clemens juris naturalis, æquitatis, ordinis, legum amicissimus, tam arbitraria, tam non usitata, tam præpotentia, tam iniqua, tam non ferenda edictorum judicia probaret? Id si faceret, & Clementis nomen, & officium suum proderet.

§. XXV. *Regii Ministri a Clemente rogati exilii indicti causam, nihil ad propositum rescribunt.*

AT enim; dicat aliquis, Glemens XIII. fuerat per litteras Regias jam ante causam totam edoctus, quare Jesu Socii merito essent in exilium expellendi. Nihil profecto minus, mi Bolane, imo, illud actum erat quam maxime a Regiis amicis, ut Romanus Pontifex consilia illa arcana quæ in Jesu Societatem jam pridem ab illis consequebantur, potissimum celaretur. Quæ una agendi ratio non modo per se iniqua, cum de viris potissimum

Romano

Romano Pontifici præcipuo jure subditis ageretur, sed plane in re tali insolens, parum etiam comis, & urbana, maxime illud evincebat, nulla Regiis Ministris, per quos injuria tota texebatur, comperta patuisse in Jesu Socios delicta, quæ exilio essent plectenda.

Vide vero, quam valde a cognitione totius causæ Romanus Pontifex excluderetur. Is tametsi insigni injuria affectus, nihil ab humanitate Principis, nihil ab indulgentia Patris desciscens, per litteras convenire Reges voluit, quos rogaret, ut se judicii, in Jesu Socios religiosos late causas edocerent. Extant Clementis XIII. litteræ, quas possem facili negotio exscribere, omnibus & Pontificiæ æquitatis, & præcipui amoris, & indulgentiæ paternæ notis insignes. Ego tamens taedium tuum, ubi de Clementis XIII. in Jesu Socios æquitate agitur, mi Bolane, veritus; unam dumtaxat ad Carolum III. Regem Catholicum transcribendam mihi existimo (*a*) Clarissime in Christo fili noster. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inter tam multiplices adversitates, quas his postremis, & tristissimis Pontificatus nostri annis experti sumus, nulla tam acerbum paterno

---

(*a*) Ex libr. cui titulus sensa Roman. Pontif. §. XIII. pag. 116. Italice scripta in hist. anni 1767. typ. Pitter. pag. 104.

terno cordi nostro inflixit, dolorem, ac postremæ litteræ Majestatis Tuæ, quibus Nos certiores facis de voluntate tua Religiosos Societatis Jesu ex omnibus terris vastissimæ Tuæ Dominationis expellendi. Tu quoque Fili mi! An igitur Rex Catholicus, filiorum nostrorum carissimus, Carolus III., felle amaritudinis implebit Calicem afflictionis nostræ, adeo modo amarum; & miseram senectutem nostram, tot lacrimis, & doloribus confectam, ad sepulchrum deducet? An religiosissimus, & piissimus Rex Carolus III. brachium potentiæ suæ, sibi a Deo concessae ad defendendam ejus gloriam, honorem Sanctae Ecclesiae, ad animarum salutem promovendam, inimicis Dei, & ejusdem Ecclesiae commodabit, ad evertendum penitus Ordinem religiosum aeque utilem ac clarum? qui originem suam, & splendorem debet Ssmis illis Heroibus, quos Deus ex sinu Hispanicae Nationis elegit ad propagandam per universum terrarum orbem nominis sui gloriam. An regna sua, & subditos sibi populos in perpetuum privabit tot auxiliis spiritualibus, quae a duobus & ultra saeculis, cum uberrimo animarum fructu, percipiebant ex illorum Concionibus, Missionibus, cathechismis, exercitiis spiritualibus, administratione Sacramentorum, instructione

Ju-

Juventutis in pietate & litteris, aliisque laboribus, quibus utilissimam Ecclesiæ operam impendunt? Ah Rex! vel solus *tantæ ruinæ aspectus* horrorem incutit, qui quo diutius animo revolvitur, eo acerbiori cor nostrum dolore penetrat.

An igitur sapientissimus, & mitissimus Rex Carolus III., cujus tam tenera est conscientia, ac recta intentio, ut, ne æternæ salutis suæ discrimen adeat, permissurus non esset, vel infimo subditorum Suorum levissimam inferri injuriam, nisi ipsius causa fuisset legitime examinata secundum formam, ad tuenda uniuscujusque civis jura publicis legibus præscriptam, ille, inquam, fas sibi esse arbitrabitur, integrum *Ecclesiasticorum Corpus*, Dei & Reipubl: obsequio consecratum, sine ullo examine NON AUDITUM, non defensum relegare, fama, patria, fottunisque omnibus legitime acquisitis, & possessis exturbare? Oh quam severa est isthæc agendi ratio! quæ si non omnino justa sit in conspectu Judicis vivorum, & mortuorum, quid proderit Majestati Tuae approbatio illius, qui hujus consilii auctor fuit, & applausis illorum, qui illud executi sunt? An silentium fidelium subditorum, & resignatio illorum, qui opprimuntur securitatem praestabit? Nos certe dissimulare

non

non possumus; dolori nostro, quo affligimur, misceri horrorem quemdam, quo periculum æternæ salutis intuemur, cui anima adeo nobis cara exposita est.

At enim Majestas Tua ad tantam severitatem commota est studio pacis, & tranquillitatis inter Subditos tibi populos conservandæ. Unde argui posset unum forte, alterumve ex membris hujus Societatis fuisse incentores aut fautores turbarum illarum, quæ nuper in Hispaniarum Regno sunt excitatæ? Verum, si res ista se habeat, cur non plectuntur nocentes, quin eadem pœna INNOCENTIBUS irrogetur? Innocens prorsus, testamur hoc in conspectu Cœli, & terræ, innocens corpus Societatis Jesu, purus est illius Spiritus, integrum Institutum, neque tantum integrum, sed etiam pium, utile, sanctum in suis principiis: Et quantumvis atroces sunt injuriæ, & criminationes, quas ejusdem inimici illi imputari conati sunt, nihil tamen hi aliud apud homines, nulla passione, aut præjudicio occupatos, sunt consecuti, quam ut sibi infamiam consciscerent; aliis vero horrorem injicerent tot mendaciorum, & Contradictionum, quibus impositas illi calumnias stabilire voluerunt. Corpus hoc constat ex hominibus, qui ut cæteri omnes, in vitia & errores labi pos-

K sunt;

sunt; sed particularium personarum errores, & noxæ non probantur legibus, neque spiritu totius corporis foventur.

An non maxime *gravissima*, quæ inde sequuntur, DAMNA, potissimum Majestatis Tuæ animum horrore percellunt? Ut enim taceamus jacturam tot operariorum in florentissima illa Hispaniæ vinea, & uberrimorum fructuum pietatis, quem labore suo proferebant; quæ tandem sors erit tot missionum, quæ in terris longinquis, & inter barbaras nationes sanguine, & sudore discipulorum, & imitatorum S. Ignatii, & S. Francisci Xaverii fundatæ, & propagatæ, nunc pastoribus suis, & parentibus spiritualibus orbantur? Si vel una; aut plures istarum animarum, quæ jam ingressæ fuerant in ovile Jesu Christi, aut proprope diem fidelium gregi annumerandæ erant, hac occasione æternum perirent; quantus illarum clamor erit ante tribunal divinum quam acerbæ querelæ adversus eos, qui illis tam opportuna æternæ salutis media subtraxerunt?

Sed res jam peracta est: Majestas Tua fidem suam obligavit, Regium decretum est promulgatum? Quid dicet Mundus, si illud revocat, aut illius differt executionem? Quid dicet Mundus? Et cur non potius cogitarunt, quid dicet Cælum? Et quid tandem di-

dicet Mundus, nisi quod a tot sæculis dixit de Assuero, potentissimo Orientis Monarcha; qui precibus, & lacrimis Reginæ Esther commotus, retractavit mandatum, quo omnes Judæos in suis regnis interfici jusserat, ut propterea immortalem justi Principis, & sui ipsius victoris gloriam reportarit. Ah Rex! an perdes occasionem, similem tibi gloriam, acquirendi?

Offerimus Majestati Tuæ supplices non Reginæ Conjugis, quæ forsan e caelo Majestati Tuæ in memoriam revocat amorem, & benevolentiam singularem, qua Societatem semper prosecuta est, sed preces sanctæ Ecclesiæ Jesu Christi, quæ non sine lacrimis intueri potest Institutum S. Ignatii penitus aboleri, quod huc usque tam præclara eidem, & ingentia præstitit obsequia. His adjungimus Nostras particolares, & S. R. Ecclesiæ preces, quæ non minus gloriatur de constanti Majestatis Tuæ, & gloriosorum Prædecessorum devotione erga B. Petri Sedem, quam de suo studio Majestatis Tuæ, & Monarchiæ Hispanicæ cum singulari quadam amoris prærogativa gratificandi. Obsecramus per dulcissimum Jesu nomen, quod est gloriosum Symbolum sub quo Filii S. Ignatii militant: per Augustissimam Dei Matrem, cujus Immaculatam Conceptionem

 con-

constanter propugnarunt; denique per canitiem noſtram precamur; Sinat ſe commoveri Majeſtas Tua, & dignetur mandatum ſuum revocare, aut ſaltem illius executionem differre EXAMINETUR hæc cauſa ſecundum formam a legibus præſcriptam, detur locus JUSTITIÆ, & VERITATI, quæ omnem umbram præjudiciorum, & ſuſpicionem facile diſſipabit. Audiat conſilia, & ſententias Magiſtrorum in Iſrael, ideſt Epiſcoporum, & hominum religioſorum in re adeo gravi, quæ non modo ſtatum, ſed etiam Eccleſiam, ſalutem animarum, & propriam Majeſtatis Tuæ conſcientiam concernit, & certi omnino ſumus, quod facile perſpectura ſit, nimiam hanc eſſe ſeveritatem, qua integrum corpus aboletur propter paucorum delicta, ſi forte aliquot rei inveniantur.

Ea eſt Noſtra de inſigni Clementia, & æquitate Majeſtatis Tuæ exiſtimatio, quæ certam Nobis inſpirat fiduciam, preces noſtras exaudiendas, paterna conſilia non reſpuenda, & petitionem adeo juſtam non contemnendam eſſe. Cum hac fiducia Majeſtati Tuæ, & toti Regiæ familiæ Apoſtolicam noſtram Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 16. Aprilis 1767. Pontificatus Noſtri anno 9.

Quid

Quid tam humanis a Romano Pontifice litteris, tam in expostulando moderatis, tam Pontificis personæ necessariis, in Aulis Regum acciderit, facile tibi licebit conjicere, si, quas vicissim eorum Ministri Regio nomine ad Clementem rescripserint, meminisse voles. Ego non illud repetam hoc loco, quod a Consiliario quodam Castellano dictum, qui Epistolam Clementis ad Carolum III. commodum legisset, in ore totius Hispaniæ erat: *Non sic ad Regem scribitur*: Cui apophtegmati aulico multo illud religiosum reponebant: *sed sic itur ad astra*.

Illud tacere minime debeo: Scribas & Lusitanos, & Hispanos Regibus suis, eam summam epistolarum Pontificiarum, non quæ ex illis fieret, sed quam ipsi ad arbitrium suum essent commenti, detulisse; Quod ne cui mirum videri possit, fecit paucis ante annis & Carvalhii confessio, dum se mentitum sæpe Regi fidelissimo fuisse, negare non potuit; & quæ in aliis pariter Aulis fuit detecta hujusmodi malitiosa, & maxime fraudolenta ratio, qua vaferrime Ministri abusi & Pontifici Maximo voluntatem suorum Principum, & suis Principibus Sententiam Pontificis Maximi soliti tandiu fuerant mentiri.

Certe quod ne privatus quidem quisquam, com-

communis humanitatis non plane expers, facere consuevit, ut in rescribendo nihil ad propositum dicat; id in illis epistolis Regiis ad Clementem, per librarios purpuratos rescriptis, fiebat, ut causas exilii nullas aperirent, sed potius, indicta causa, denuo a Pontifice Maximo abolitionem totius Jesu Societatis minaciter efflagitarent, neque ea injuria contenti, conjurationis totius primores, minas minis per frequentes litteras adderent, nisi eorum temeritati, libidini, impotenti odio Romanus Pontifex subscriberet.

§. XXVI. *Inquiora Edicta in Jesu Socios ex eo Clementi parebant, quod Regii Ministri causæ disceptationem refugiebant.*

QUæ cum Clemens XIII. non sine ingenti animi dolore cerneret, poterat non edicta Regia reprobare? Poterat conjurationi, in Jesu Societatem ab Scribis Regiis conflatæ, non obviam ire? Poterat non prius damna omnia malle pati, quam tam impiæ. tam nefariæ, tam impudenti injuriæ suffragari? Ille, qui meritis & dignitati suæ, non Regiorum Ministrorum suffragationi, non occultæ pactioni, Sedem in Ecclesia Catholica

principem

principem deberet; qui nulla bonorum, nulla jurium, nulla possessionum Ecclesiasticarum jactura, (quam jam hostili occupatione Avenionensis, & Beneventani Principatus senserat) abduci a rectae conscientiae judicio posset, qui non minis sibi de invadenda urbe denunciatis, qui non intentato discrimine libertatis amittendae, non proposito a Sede suo exilio non carcere sibi in arce Capuana destinato deterreretur, cum diceret, *non defuturum Ecclesiæ Martyrem, si eidem non deesse insectatorem Deus permitteret*; in repudiandis & Edictis, & postulatis, & minis constantissime perseverare constituit.

Quod vero in rebus & trepidis, & formidolosis Ecclesiae semper servavisset, ad pacem, & veniam Numinis per publicas supplicationes exposcendam, animum totum convertit. Stipem ad sacra in celebrioribus B. Mariae Virginis templis Romae facienda, quibus a Superis opem in malis Ecclesiae postularet, paravit. Concilium demum Romae indicere, quo quicumque vellent Episcoporum venirent, constituerat, ubi causa Jesu Societatis legitime cognita, Pontificia auctoritate de re tota decerneretur; Ut, si suffragiis Episcoporum de innocentia illius ordinis religiosi constaret, ordo totus de integro sanci-

retur

retur. Si nonnullos ejus Societatis reos esse propria ipsorum fraude Concilio liqueret, in eos e corpore religiosos abscissos ex jure severissimè animadverteret. Si corpus integrum vitio disciplinæ laxioris ita laborare pareret, ut ejus corrigendi arctioribus legibus spes appareret; auctoritate publica reformaretur. Sin ita contagio vitæ licentioris in omnia ejus membra serpsisset, ut ferro, & igni rescindenda videretur, Apostolica demum severitate penitus abolerentur.

In his Clementis XIII. consiliis est ne aliquid, non dicam quod tu ipse, optime Bolane, sed ne infestissimus quidem aliquis Jesu Societati, ne alienissimus quidem alius a reverentia Pontifici Romano debita; possit reprehendere? Non in ea agendi ratione, & singularem animi æquitatem, & juris Pontificii exquisitissimam moderationem, & in re gravissima diligentissimam cautionem & in regenda disciplina eximiam quamdam prudentiam Clemens XIII. ostendebat?

Fac, Regios Ministros, fac ipsos per se Reges justas habuisse causas, quare Jesu Sociis tam hostiliter succenserent. Iis per Pontificem Maximum libera facultas fiebat, ut omnia in Jesu Societatem crimina, quæcumque aut plane ipsi comperissent, aut merito suspecta sibi

bi

bi essent, vel ipsi per litteras, vel per Procuratores suos proferrent. Fac per Adversariorum calumniam, per obtrectatorum invidiam, per bonorum etiam errorem innoxium Jesu Socios in discrimen fuisse adductos. Ii in concilium vocati (Adnot. IV. *Mantuæ*) & causam pro innocentia oppressa dicere, & objecta palam crimina vel in calumniatores retorquere, vel coram Episcopis in Concilio purgare potuissent.

Quid? Erat ne dissolutior disciplina nonnullorum Jesu Sociorum? Pœna corceretur in iis, quorum culpa esset convicta. Res tota in universo Societatis corpore in nimiam licentiam inclinaverat? Opportuna correptione in pristinum ordinem revocaretur. Ne revocari quidem communi vitio jam poterat? Funditus Societas tota dissolvetur. Cum verò nullum horum remediorum Regii Ministri probarent, quid aliud reticendis criminibus, indicendis exiliis, extremis supplicis Sociorum urgendis, Adversarii Societatis Jesu dicebant, nisi sese velle illorum innocentiam odio suo per Romanæ Sedis Majestatem prodi, addici, devoveri?

§. XXVII. *Injuria in Sedem Apostolicam & in Societatem Jesu facta ex causa Carvalhii paruit.*

ERgo SSm̃us ille Romanus Pontifex, cum obseratas æquitati, obseratas justitiæ, obseratas moderationi Regiorum Ministrorum aures sentiret, non ignave manus illis contra omnia jura dandas, non per fictum colorem majoris mali cavendi, ad iniquissimam pactionem sibi descendendum judicabat; sed rem totam divini Numinis consilio permittere ita statuebat, ut assiduis precibus causam Ecclesiæ Catholicæ, discrimen Jesu Societatis innocentis, Deo commendaret, mortem sibi ab illo precatus, ne tam adversa bonis tempora, ne tantam in re Christiana procellam diutius furentem videret.

Ejus vota superis non fuisse ingrata biffariam apparuit, vel quod ille Kal. Februarij an. 1769 maximo bonorum omnium luctus e vivis excessit; vel quod non multis post annis & innocentia Jesu Societatis, a factione Regiorum Ministrorum crudelissime oppressæ, & Pontificia Majestas tum caput extollere cœpit, cum Josephus I., morti jam proximus, ad bonam Christianæ resipiscentiæ mentem redibat, qua Sedis Apostolicæ honor nefarie violatus resar-

ciebatur; & cum post Regis mortem illico fuit a gubernaculis Lusitani Regni abstractus Marchio ille Pombalensis, qui cum fuisset caput totius conjurationis, est capitis damnatus. Sed de his omnibus in Apologia de tribus in Jesu Socios Lusitanos judiciis pluribus est dictum.

§. XXVIII. *Nequit Catharina Augusta reprehendi, nisi Clemens XIII. repudietur.*

QUæ cum ita sint omnia, age vero mi Bolane Confer una mecum Catharinam Augustam, Clementi XIV. refragantem, cum Clemente XIII., Edictis Ministrorum Regiorum constantissime intercedente. Novi naturæ ingenuæ in te pudorem, novi erga Principum Majestatem & obsequii tui, & reverentiæ potissimum officium, ut omnino dubitare non debeam, quin eo non sis audaciæ processurus, quo hostes Jesu Societatis videas jam venisse, ut una plaga & Clementem XIII. & Pium VI. Josephi I. resipiscentiam narrantem, & Mariam Reginam mandata Patris sui exequentem, & Catharinam Imperatricem conficias, cum omnes eos in causa Jesu Sociorum turpissime sese dedisse pronuncies.

Utrum ergo existimes, Clemens XIII. Re-

giis Edictis jure, an injuria intercedebat? Si injuria, dices, eum intercessisse, vide, quid viginti Judicibus, nigerrimum theta Pombalii fronte inurentibus; quid fidelissimæ Reginæ Mariæ & eorum sententiam probanti; & Carvalhio extremum capitis supplicium renittenti; quid Josepho I. paulo ante mortem acta omnia sua, per Carvalhi malitiam vel extorta, vel eblandita contra Jesu Socios, retexenti; Quid Pio VI. in Consistorio PP. Purpuratorum Josephum I. purganti, Carvalhii pessima facinora execranti, innocentiam eorum e Jesu Societate Sacerdotum, quos odium capitale Pombalensis tyranni oppressisset, propugnanti; quid communi totius Europæ in opressores innocentium odio; quid querelis bonorum omnium respondeas, qui fidelem in Ecclesia operam Jesu Societatis hoc tempore maxime requirunt, cum dominata ubique Philosophia, cum salus, & vita Principum seditionibus infecta; cum pietas neglecta, cum Religionis sanctitas irrisa, cum morum probitas ludibrio habita, cum sacramentorum pristina frequentia imminuta, cum doctrina Novatorum impune passim grassata; cum severitas ethicæ splendide vitam piam mentitæ, cummuni rei & publicæ, & Christianæ perniciem esset importatura, nisi Deus nobis

fuis-

fuisset pollicitus. *Portas inferi nunquam* in Ecclesiam Romanam esse *prævalituras*.

Quod si jure dicas Clementem XIII. fecisse, cum edicta illa arbitraria, cum pœnam sine judicio Jesu Sociis inflictam repudiabat, cum Œconomiæ despositæ liberrimam licentiam refrænandam censebat, quid est, quod de Augustissima Russiarum Imperatrice queraris, si totum Clementis XIV. decretum repudiarit, quod, ipsa inconsulta in ejus Jesu Societatem, nullius criminis consciam, valere Romanæ Aulæ Ministri volebant?

§. XXIX. *Non potest Imperatrix prohiberi sola jure Principibus communi.*

EGo vero nihil dubito, quin tu etiam, Bolane, ipse per te sis istos, ad speciem juris Regii defensores, re vero ipsa proditores, suo, quod ajunt, ipsorum gladio jugulaturus. Quid enim? Sedente Romæ Clemente XIII., nonne illi terram cum cælo miscere de compacto solebant, cum illud assiduo edictis suis creparent, Principes vertice cælum tangere, Principes supremam potestatem, Principes œconomicam auctoritatem, Principes *jus nemini obnoxium proxime* a Deo accepisse, Principes *nemini rationem* suorum factorum *reddituros*

esse?

esse? Si illi tunc non Macchiavelli discipuli sed Tlenidis alumni se veritati litasse dicent; quid curæ esse sibi, dixerint, cur Pontifice Clemente XIV. Imperatrici Catharinæ litem de eodem illo jure intenderent? cur ejus decreta ad calculos ipsi suos vocata acerrime reprehenderent?

Rursus si illi ipsi, Clemente XIV. Pontifice, dicant, jus non fuisse Russiarum Imperatrici ex arbitratu suo de suis Jesu Sociis domi constituendi; sed eam ex voluntate Romani Pontificis in ea causa sese totam fingere in Alba Russia debuisse: qua fronte illi non jam Themidis alumni, sed Macchiavelli discipuli germani, audebunt sententiam ipsi suam, quam de Jove manibus ipso suis Reges coronante, propugnabant; dum, Clemente XIII. Pontifice, omnia jura Regibus solutissima, omnia facta per sese rata, per sese probanda, Regibus Regiis etiam Ministris, vindicabant, sustinere? Quasi vero aut jus varium in eadem causa non esset per se reprehendendum, aut non oporteret, mendaces etiam Regum adulatores memores esse. At cætera Innocentiæ Societatis argumenta prosequamur.

XXX.

§. XXX. *Societatis Jesu Institutum nefarie in Gallia damnatum*.

IN causa Gallicanæ Jesu Societatis tot, tamque certa monumenta & Pontificia, & Regia pro illius innocentia extant, ut non nisi ab Hæreticis Novatoribus, non nisi a perfrictæ frontis hostibus in dubium possit vocari, quin per summam & injuriam, & impietatem in Gallia fuerint Jesu Socii opressi. Ibi enim an. 1762. mense Majo nihil est Senatus ille Parisiensis veritus, totum Jesu Societatis corpus ob illam unam causam judicio suo dicere tollendum, quod una cum decretis & Constitutionibus Pontificiis, quibus fuisset sancitum, atque confirmatum, nigerrimo calculo dignum videretur.

Ex quo decreto, semel impie ab illis Senatoribus probato, ibidem ab iis Senatoribus semel atque iterum, ac sæpius Jesu Sociis Gallicanis edicebatur, ut ipsi & Institutum Jesu Societatis, adhibita juris jurandi religione, pro impio, & pernicioso abjurati, in posterum neque Præposito Generali Jesu Societatis religiose obsequi, neque ulla consuetudine cum exteruis uti Jesu Sociis auderent. Cui si quis edicto parere Gallicanus Jesu Socius

cius

(*a*) Ex hiſtoria anni typis Pitterianis

(*b*) Auguſti 1762. & 22. Febr. & 9. Martii 1763.

cius recusaret, sibi extemplo aqua & igni in Galliis interdictum esse intelligeret.

Equidem video me hodie non modo bonis omnibus molestiam, ac tædium, sed illis etiam Parisiensis ordinis Senatoribus pudorem, ac pœnitentiæ confessionem esse allaturum, si totum illud decretum & impium, & nefarium, & flagitiosum & pestiferum fuisse pluribus confirmem. Nemo enim, mi Bolane, etiam eorum Jesu Societatis obtrectatorum, qui tum ad astra Senatores Parisienses ferebant; (ferebant autem non pauci etiam ex iis, qui haberi volunt severiores, & tamen studio partium sociale Jesu nomen omne aversabantur;) his gravissimis Ecclesiæ temporibus non aperte jam videt; per latus Gallicanæ Jesu Societatis catholicam in Galliis religionem fuisse a Novatoribus Calvinianis, a refractariis Jansenianis, a Philosophis. Atheis, insciis, opinor, plurimis eorum Senatorum, impetitum. Quare ne videar velle ulcus, bonis omnibus acerbissimum, refricare, primum ad Clementis XIII. divinam plane prudentiam, innocentiæque oppressæ difensionem publicam venio.

Ergo bonus ille, atque integer vitae, & prævaricationis purus, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, Clemens XIII. re cognita in hanc sententiam scribebat ad Cardinales de Bernis, Ludovicum

Ludovicum de Rohan, de Choiseul, & de Rochechovart. Ad Christophorum Parisiensium Archiepiscopum de Beaumont, aliosque Episcopos Gallos. (*a*) „ Permolesta tibi fuisse arbitramur, quæ a Supremis Regni Gallicani Sæcularibus Aliquibus curiis gesta sunt ad dissipandam, extinguendamque Societatem, Jesu, atque illud in primis quod ejus Institutum ab Ecclesia Catholica comprobatum ut Pium, idem Curiæ illæ declararent irreligiosum, & impium; vota vero, quibus Clerici Regulares ejusdem Societatis Deo se devovent, indigna esse, quæ Deo offerantur. Quam quidem Ecclesiæ Catholicæ sane atrocem injuriam cum diutius pati non potuerimus, in Consistorio secreto die mensis hujus tertio solemni decreto coram Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Card. acta omnia rescidimus, seu potius inania, nulliusque roboris, & irrita, & nulla esse declarabimus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem dies 5. Septembris 1762.

(*a*) V. lib. cui tit. Sænsa Rom. Pontificum. Amſteldami apud Gerardum Tielemburg §. 9. pag. 80.

Idem Clemens XIII. Ludovico XV. Regi Christianissimo scribebat 9. Julii 1762. (*a*) ,, Nunc denuo imploramus potentem Majestatis Tuæ protectionem, non jam solum pro Religiosis Societatis Jesu, aut illorum causa, sed pro ipsa Religione, cujus causa cum illis conjuncta est a multo jam tempore inimici hujus sanctæ religionis destructionem istorum Religiosorum moliti sunt, quam ad perficienda pessima conjurationis suæ consilia omnino necessariam judicarunt. Ecce jam prope modum scopum suum attingerunt. Non sine maximo dolore nostro deploramus illorum extinctionem quæ præparatur, & prope diem executioni dabitur in ditionibus Majestatis Tuæ, in quibus isti Religiosi tam utilem operam impendunt institutioni juventutis, traditioni sanæ doctrinæ, & omnibus pietatis operibus, quibus Religio & fides nutritur & fovetur scimus equidem Majestatem Tuam, æque ac Nos, tristissimis hisce casibus, commoveri. Non ignoramus eandem plurimum laborasse ad illos prævertendos, & impediendos; sed necesse est ut Majestas Tua nihil non tentet, & suprema a Deo sibi concessa potestate utatur in re tanti momenti, quæ cum ipsa Religione adeo arcte conjuncta est. SSma illius jura violantur, dum Magistratus sæculares in sanctua-

rium

rium sese insinuare prætendunt, constituentes se Magistros sacræ doctrinæ, arbitros, & Judices vinculorum maxime solemnium, quibus homo Deo consecratur, & atrocibus perstringunt injuriis regulas religiosæ Societatis laudatas, & approbatas ab hac sancta sede, quæ est cathedra, cui Christus Jesus auxilium, & lumen promisit, ad pascendum, & regendum gregem suum.

Post Deum nullum aliud nobis restat refugium, nisi Majestas Tua. Itaque cum paterna fiducia Nos inter Tua brachia conjicimus: per Jesu Christi viscera obtestantes, ut totam Regiæ Majestatis Tuæ fortitudinem extendas.

Datum Romæ apud S. M. Majorem 9. Julii 1762.

In Gallia eo tempore; cum nondum catholicæ religionis spiritus plane elanguisset, quem hodie propemodum a Philosophia impia in ista Gallorum, ad dedecus humanitatis, ad opprobrium. Europæ, male nascente repub. extinctum dolemus, obviam iri cæptum est decreto Senatus novaturiensis primum ab Archiepiscopo illo Parisienſi Beaumontio, nostræ aetatis novo Chrisostomo, qui litteris pastoralibus suis, hac inscriptione vulgatis (Litteræ Pastorales adversus injurias ecclesiesticæ auctoritati factas per edicta Tribunalium Lai-

corum in causa cujusdam Societatis Religiosæ; cum a rebus plurimis adversis, tum potissimum ab officiis erga catholicam Religionem præstitis, celebratissimæ,) Parisiensis illiusmodi consulta damnabat.

Deinde Ludovicus XV., cum antea sæpe tentasset eos Senatores ab illo præjudicato in Jesu Socios odio avertere, ad extremum rescripto suo pronunciabat. Unius esse auctoritatis spiritualis in Christi Ecclesia religiosi ordinis instituta, & examinare, & censere, & irrita, ratave esse jubere die 24. Maji 1766.

Neque hoc uno edicto contentus, eos Jesu Socios, sponte sua in exilium profectos, ne Instituti sui Pii professionem ejurarent; a ditionibus, ad quas jam pervenerant, publica, auctoritate reducebat.

Non est profecto, mi Bolane, quamobrem pluribus tibi ostendere coner, id quod tu ipse per te fatebere, impie ab Senatoribus Gallis de Instituto Jesu Societatis fuisse judicatum. Illud unum, si non tibi, at certe iis qui disciplinam Ecclesiæ per ereptam Romano Pontifici jurisdictionem velle reformare mentiuntur, dicendum a me arbitror Clementem XIII. Constit. sua *Apostolicum* die 7. Januarii 1765. quæ & Sacro Collegio universo, & universæ

Eccle-

Ecclesiæ Catholicæ Episcopis maxime grata, & jucunda fuit, totam Ecclesiam edocebat: „ Institutum Societatis (& totum quidem Institutum) sanctum, pium laudabile esse, ejusque ministeria sanctissima, non modo superiori memoria, verum etiam hac nostra ætate veram, solidam, maximamque universo populo Christiano, Ecclesiæque utilitatem afferre.“

Ex quo Clementis XIII. judicio quis non innocentem in Gallis Jesu Societatem agnoscat? Quis non impotentissimum odium Senatus Parisiensis, non impiam audaciam in Jesu Socios detestetur? Quis neget Clementem XIII. statuisse sui esse juris, sui officii, suarum partium, suæ jurisdictionis, & pro innocentia oppressa, & pro libertate Ecclesiæ contra Parisiensem Senatum venire?

§. XXXI. *Societas Jesu in Gallia injuste oppressa ab unius Jesu Socii Culpam.*

AT, enim, inquies, ut vix, ac ne vix quidem, catholicus ullus negarit, impium Parisiensis Senatus fuisse consultum, quod adversus Institutum, tam sæpe in Ecclesia, tamque legitime confirmatum edebatur; Sic ne nonunus bonorum omnium non plane confiteatur, jure in Gallia actum adversus Antonium

dela

dela valette, illum, inquam, e Societate Jesu Superiorem domus Sancti Petri, & Missionis Martinicensis, vetitæ negotiationis damnatum reum.

Vides opinor, mi Bolane, nolle me criminis speciem ullam, sive jure, sive injuria in Jesu Socium, Sociosve intentatam dissimulare. Jam de Antonio isto *la valette*, cujus unius Jesu Socii infamia Europam totam pervadere, præla omnia typographica fatigare, aures obtrectatorum omnium exsurdare, livorem ipsum inveterati odij explere velle videbatur, quasi unius Jesu Socii res male & initio contracta, & inscientibus aliis Sociis, deinde flagitiose gesta, jure posset luminibus omnibus totius Societatis officere.

De Valletio inquam, rem paucis accipe: Exorto inter Gallos, & Britannos bello, cum Creditoribus suis Vallettius idcirco non posset ad tempus respondere, quod bonis suae Missionis fuisset a Britannis expoliatus, nomen illius ad Consolatum Gallicanum fuit ab iis delatum Negotiatoribus, qui & pecuniam numeratam, & merces plures Vallettio a se expensas fuisse ejus ipsius chirographo probarent. Vide jam quid illius Consulatus Parisiensis die 24. Aprilis 1760., quid itidem Judices Consulatus Massiliensis die 29. Maii ejus-

dem

dem anni decreverint. Cum „ nec domus, ajebant, illa Sancti Petri, nec Missio Martinicensis sint solvendo Creditoribus Antonii la Valette e Soc. Jesu; decernimus, ut liceat iis Creditoribus agere contra bona omnia totius Societatis Jesuitarum in toto Imperio Regis *sine ulla exceptione*. "

Ita illi quidem Areopagitæ Negotiatores Galli in unum e Jesu Societate debitorem constituerunt, ut ære illius alieno obligata vellent omnia bona quinque Provinciarum, quas Jesu Societas in Regno Galliæ haberet, idest Franciæ, Aquitaniæ Lugdunensis, Tolosaniæ, & Campaniæ. Et vero iniquitas ejus judicii in Vallertium editi, tam omnibus manifesta apparebat, ut ne aulæ quidem magnæ Senatus Parisiensis, qui jam in perniciem totius Jesu Societatis conjurasset, sine exceptione judicium placueirt.

Sic enim conventus ille senatus totum illud decretum, nullis definitum antea finibus, coercendum censebat, ut statueret, excipienda esse ab illa solvendi obligatione ejusmodi Jesu Societatis Gallicanae & jura, & pecunias, & bona, quae neque a toto Corpore Societatis, neque a praeposito Generali ejusdem distrahi, atque abalienari possent sine laesione ejus juris, quod in illa bona haberent Fundatores,

Dona-

Donatorii, horumque Successores, Civitates, loci, quorum usui illa pecunia fuisset assignata jure perpetuo, sive conditione irrevocabili.

Sed mitto decreta ab Aula magna Senatus Parisiensis edita: Mitto alia judicia (a) in causa simili alibi facta, quibus injuria illa Consulatus Gallicani aperte coarguebatur. Quæro a duobus illis Consulibus, a duobus Collegiis mercarialibus, Parisiensi, & Massiliensi, quo jure solvere, teneretur tota Jesu Gallicana Societas, tota illo *Assistentia* pro uno illo Socio, si ille ipse Vallettius neque in judicio fuisset convictus, se auctoritate totius Assistentiæ suae ea nomina fecisse, neque pareret pro illo satis Assistentiam dedisse, neque eam pecuniam, eas merces, ea bona ad ipsam Assistentiam pervenisse? Quid? nonne illi ipsi Judices in sententia ferenda confirmabant, Creditores bona sua unius Vallettii chirographo fretos Vallettio tradidisse? Quasi vero si quid peccet nomine suo unus aliquis alicujus Societatis particeps tota Societas & peccasse, & pœnas debuisse sit existimanda.

Et vero Constat omnibus, qui nolint cum Gallis illis Judicibus quo jure, quaque injuria

(a) Adnot. V. pag. 272. Romae in causa Seminarii Romani 174.

injuria Jesu Societatem totam funditus eversam, Vallettium illum communi aliorum Sociorum nomine nihil ejus commercii vetiti exercuisse. Ecce tibi Judicium Gallicanae Jesu Societatis in ea Vallettii causa editum. Praemissis idoneis, & quidem de scripto, tum apud Nostros, tum apud homines externos, inquisitionibus de administratione P. Antonii dela Vallette, quandiu Missionis Martinicensis præfecturam obtinuit, ipso etiam prædicto P. Antonio a Nobis coram ejusdem Missionis Patribus gravioribus, interrogato, atque audito de criminationibus eidem illatis: Cum ex praedictis Constet primo: Illum negotiationes exercuisse profanas, saltem quoad forum externum, contra sacras canonum sanctiones, & peculiares Societatis Institnti leges: II. eundem prædictarum subduxisse negotiationum suarum cognitionem & Nostris in Martinicensi Insula, & maxime Superioribus Societatis majoribus. III. Ejusdem negotiationibus aperte, ac vehementer reclamatum cum a Sociis Martinicensibus, ubi ipsis innotuere, tum a Superioribus Societatis majoribus, statim ac fama etiam suboscura ejusmodi negotiationum ad ipsorum aures pervenit, ita ut nulla mora interposita cogitaverint de providenda, atque instituenda alia, omnino,

ac longe diversa administratione per Visitatorem extraordinarium eo loci mittendum, id quod ab annis sex propemodum elapsis tentatum fuit ab ipsis frustra nec nisi posterioribus hisce temporibus propter occurrentia, neque humano providenda consilio impedimenta contingere potuerit.

Nos prædictis rebus omnibus justo libratis examine, & sæpe sæpius, ac maturius deliberatis cum Patribus Missionis Martinicensis gravioribus, nec non post enixissimas ad Deum fusas preces, pro auctoritate nobis commissa, & unanimi prædictorum Patrum consilio primo volumus: P. Antonium dela Vallette amoveri ab omni omnino administratione tum spirituali, tum temporali; Secundo jubemus, prædictum P. Antonium dela Vallette, quam citissime fieri poterit, in Europam remitti: Tertio prædictum P. Antonium dela Vallette interdicimus, atque interdictum declaramus a sacris, donec ab hoc interdicto absolvatur auctoritate Rev: admodum P. Præpositi Generalis Societatis Laurentii Riccii cujus arbitrio, ut par est, totam judicii hujusce nostri rationem permittimus.

Datum in ædibus primariis Missionis Societatis Jesu Martinicensibus. Die 25. Aprilis 1762. Joannes Franciscus de la Marcha Soc. Jesu.

Alt.

Alt. ipsiusmet P. dela Vallette Monumentum.

Ego infrascriptus testor æquitatem latæ in me sententiæ : agnoscere me ex animo quoad omnes partes, quamvis mihi inscio præter intentionem, & casu potius, quam fixa, ac deliberata voluntate aliqua contigerit, profanam facere mercaturam, a qua abstinui statim, atque accepi quantas in Societate, & in Europa tota cieret turbas.

Item juratus testor, nullum omnino ex Superioribus majoribus Societatis fuisse mihi quoque modo ejusmodi mercaturæ a me institutæ sive auctorem, sive consiliarium, sive approbatorem, sive conscium, sive participem, quo circa humiliter, & vere pœnitens, supplico Superioribus ejusdem Societatis majoribus, ut jubeant tum latam in me sententiam, tum errati mei, & pœnitentiæ meæ testimonium propalam fieri, ac promulgari.

Denique iterum juratus testor, non adduci me ad hujusmodi confessionem aut vi, aut minis, aut blanditiis, aut arte qualibet alia, sed sponte, ac libere, ut veritati fiat satis, ac toti impactas Societati ex hac occasione calumnias, quantum in me erit, refellam, contundam, atque obteram.

Dat. in Ædib. primariis Miss. Martinicensis Societatis Jesu die mense, & anno supradictis.

Antonius dela Vallette Soc. Jesu. Vi-

Vides jam profecto, mi Bolane, Societatem Gallicanam neque illud negotii Vallettio Procuratori dedisse; neque mercimonium illud profanum probasse; neque ejusdem participem fuisse, neque silentio suo culpam unius Vallettii suam facere voluisse.

Quid ergo erat Gallis illis Judicibus mercurialibus causæ cur totam assistentiam, sive Gallicanæ Jesu Societatis corpus fortunis omnibus vellent expoliatum? Nimirum cum illi jam tum toti Jesu Societati, & Sponte sua, & instigatione Senatorum Parisiensium perniciem extremam machinarentur, contra jura omnia sibi agendum in ea Vallettiana causa arbitrabantur; partim ut Jesuitarum infamiam eo judicio cumularent, partim ut *mentitis* etiam Vallettii creditoribus actionem darent; partim ut in extremas inopiæ angustias totam in Gallicano Imperio Jesu Societatem redigerent.

Nam si qua Justitiæ iis aura affulsisset, vidissent profecto, ita cum Jesu Societate in causa Vallettii fuisse agendum, ut non ita pridem anno 1781. cum toto Carmelitarum ordine in causa Prioris Generalis Ximenii Pius VI. agendum constituebat. Res est in omnium sermone versata.

Josephus Albertus Ximenius, Prior Generalis munificentissimus, Ordinis Carmelitani Nea-

poli

poli an. præd. mortuus, grande æs alienum, quod cum *consensu Provinciæ*, & *Pontificis facultate* contraxit, reliquerat. Creditores Romanam Carmelitanorum Provinciam in jus vocaverant. Pius VI. sapientissimus Pontifex Romanus, qui & juri servire, & saluti ordinis, & Provinciæ vellet consulere; concilium sive Congregationem Prælatorum selegit, cujus causæ totius cognitio esset, apud quos Creditores nomina sua probarent. Deinde certis Rationatoribus a se nominatis, id dedit negotii, ut & æris alieni, quod Ximenius ipse moriens *nomine Provinciæ* debuisset, rationem subducerent, & bona omnia Romanæ Carmelittarum Provinciæ aestimarent. Nec enim standum esse rationibus, ac tabulis a Creditoribus in ea causa exhibitis, optime Pius intelligebat.

Ergo & facta est summa æris alieni, quæ esset ad Centum, & decem millia Scutatorum & jussa est illa *Romana Provincia* Creditoribus Ximenii solvere, prædia, bona, domos, pecuniam depositam piis mensis (*sive locis Montis*) ad eam summam vendere, quæ iis satis esset nominibus expediendis. Sic ad nummos quidem suos Ximenii creditores certi pervenerunt. At reliqua scutatorum millia ad trutinam revocanda erant.

At

At Gallicani illorum Collegiorum Judices; quod non ex jure, non ex æquo bonoque, non usitata ratione sententiam contra *totam Societatem* tulissent, assequi nullis artibus potuere; ut Patroni, Fundatores, Donatarii quinque illarum Provinciarum paterentur; Jesu Socios bonis omnibus eversos, non jam posse officiis, ac muneribus suis satisfacere.

§. XXXII. *Jus est Supremæ Potestatis legem, suis nocituram, repudiare.*

SEd jam ad institutam Orationem regressi, alteram positionis nostræ partem expediamus. At primum omnium, bonitate, ac justitia defensionis meæ fretus, nihil tibi, mi Bolane, dare gravabor; Jesu Societatis, abolitionem non causæ judicium, non Judicis Supremi sententiam, non Clementis XIV. simplex fuisse decretum. Concedam tantisper, fuisse potius publicam Legem a Supremo Christianæ Reipubl. Moderatore, a Romano Pontifice, non, penitus invito, profectam.

At ego tamen contendo, jure quodam Principatus proprio, naturali, atque ingenito, Russiarum Imperatricem potuisse, ne dicam etiam debuisse, totam illam de abolenda Jesu Societate sive legem, sive Pontificiam actionem in

Alba

Alba Russia sua, sine ulla Romani Pontificis injuria repudiare, siquidem eam saluti suorum Civium impedimento, damnove intelligeret futuram. Res tota est a primis juris prudentiæ elementis, etiam apud juris novitios auditores maxime trita, ac celebrata. Vin tu, mi Bolane, causam totam previ conclusione videre confectam? Eam paucis accipe in hanc formam.

Si cui Principi Sacro, si cui Principi profano satis constet Legem aliquam, vel rogatam, vel perlatam, vel editam ab alia Supremas Potestate, bono suorum civium contrariam esse futuram; is eam legem, a se reprobatam, antiquare non potest modo, sed omnino etiam debet. Est enim Princeps civitatis vi, ac natura sua ejusmodi patronus, Auctor, Tutor, Vindex boni publici, ut sine summo scelere illud neque Sacer Magistratus in christiana Ecclesia, potentiæ profanæ gratificari; neque profanus Moderator in civili Republ. possit Arbitrio Sacro proditum Condonare. Utriusque enim potestatis publicæ officium est vel unicum, vel certe maximum, suorum saluti consulere.

At Augustissimæ Russiarum Imperatrici satis illud superque constabat, Clementinam illam legem (do enim tibi, si ita vis, eam

fuisse

fuisse rite latam in Ecclesia legem ;) bono suorum in Alba Russia Civium , bono , inquam, Catholicorum maxime contrariam fuisse futuram , si semel illis indiceretur ; id quod & Sæpius est a nobis ostensum ; & paulo post luce meridiana clarius, omnibus liquebit.

Potuit ergo, atque adeo debuit, Russiarum Imperatrix Clementinam de abolenda Jesu Societate legem, a se reprobatam, & in Alba Russia antiquare, & sine Romani Pontificis injuria, ne ibi a Ministriis Pontificiis denunciaretur, impedire.

§. XXXIII. *Suprema Pontificis Romani Potestas in re œconomica nihil Principatui Civili Juris adimit.*

HIc nihil ego profecto video, quod tibi mi Bolane, parum probari, aut minus placere possit sis sane Pontificiæ in terris auctoritatis Amicus, quo in studio nihil ego tibi, nihil istæ etiam Jesu Societatis reliquiæ, ubique gentium, in hac misera catholicæ Ecclesiæ invidia, numini, ac Majestati Romani Pontificis devotæ, concedemus. At non propterea te dissimulaturum esse arbitror, ab ipsa natura, ab ipso legis veluti spiritu, illud juris Supremo Magistratui concedi, ut nulla lex, quæ commune civitatis bonum, quæ publicam

civium

civium non promoveat utilitatem, probetur.

At vero maxime (esse enim ex animo maximam, ita me salus ipsa amet, gaudeo) sit Romani Pontificis in toto orbe Majestas; Sit illius amplissima in omnibus Regionibus universi Juris dictionis auctoritas; Sit illi in terris ab ipso rerum omnium arbitro Deo concessa suprema in Ecclesia potestas, quam dederit Dominus Romanis Pontificibus ad ædificationem, & non in destructionem (*a*). Atque utinam in omnibus & Populis, & Gentibus, & Nationibus, & Regnis, & Provinciis sobolem Christianorum Romanus Pontifex sibi non minui, id quod hodie boni lugent, sed augeri, sed crescere, sed amplificari videret, quibus jura, legesque salutares daret, quibus vesanis institutis, moribus legibus interdiceret.

Hæc cum ego tibi jura Pontificia libentissimo animo concedo; tu, opinor, non dicam mihi, sed Themidi, sed Astreæ Virgini, sed Justitiæ ipsi, largiri non invitus debebis; penes legitimum Principis Imperium illud esse juris, ab Auctore totius ordinis, ac naturæ Deo, ut, si quas leges, quæ neque dogma fidei, neque disciplinam, ac mores vitæ constituant, Princeps civilis viderit a Pontifice

O Sum-

(*a*) Paul. ad Cor. 13. v. 10.

Summo ad Œconomicam Ecclesiæ ferri; bono publico saluti Civium contrarias, eas pro jure suo, eas pro potestate legitima, & rejicere, & inditione sua possit coercere.

Neque meus hic sermo est, sed quem Beatus Thomas, veluti e cathedra, ac tribunali quodam theologiae, omnes edocebat (*a*),, dicendum quod omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem, & in tantum obtinet vim, ac rationem legis. Secundum vero quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet. Contigit autem multoties, quod aliquod observari communi saluti est utile, ut in pluribus, quod tamen in *aliquibus casibus est nocivum*. Quia igitur Legislator *non potest* omnes singulares casus intueri, proponit legem secundum ea, quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem suam ad communem utilitatem. Unde si emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda (utique in illa ditione, licet in aliis observetur). Non pertinet ad quemlibet, ut interpetretur, quid sit utile Civitati, & quid inutile Civitati, sed hoc solum pertinet ad PRINCIPES, qui propter hujusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi " atque adeo possunt, & debent

(*a*) 1. 2. 9. 96. a 6.

debent impedire quominus promulgetur, & a subditis sibi populis observetur.

§. XXXIV. *Natura humani Moderatoris petit, ut lex sine conventione aliena ne sit rata.*

VOx ista Veritatis, ab ore Angelico prolata, tibi, mi Bolane, satis certo scio, si non firmior, at certe gratior acciderit. Esto. At si quæras, quæ res efficiat, ut Princeps Civitatis pro jure suo, ſine ulla Romani Pontificis injuria, possit hujusmodi legem repudiare; causam in ipsa potissimum Legislatoris humani natura, ac conditione positam invenias. Lex enim ipsa per se si nomen legis, si vim sit habitura consulat bono, ac saluti communi oportet. Jam quis est adeo in rebus humanis hospes, & peregrinus, qui nesciat per humanæ naturæ infirmitatem, per rerum publicarum difficilem moderationem, per vitia publicorum consiliorum ferme necessaria, in ista Adami fœce sæpe accidere, ut Legislator, cum maxime cupiat, admodum parum, aut omnino nihil ferenda lege sua bono Civium consulat? Consulat autem? imo vero non raro officiat, atque adversetur. Sit enim jure hæreditario Præpositus Reipubl. Supremus Princeps; quo jure cum civitatibus

optime; ut in rebus humanis, meo quidem judicio, agetur. Is qui privatus nunquam Civis nunquam fraudes, nunquam injuria civium sit in se expertus, qui ab amicis, ac purpuratis suis mala Civitatis, dedita sit opera celatus, ut maxime salutem, ac felicitatem omnium sibi parentium civium auctam, atque promotam cupiat; tamen ignoratione & temporum in re publ., & praesentium malorum, multa, necesse sit constituat, tanquam salutaria, quæ sint civibus perniciem allatura suis, si omnem legem a se rogatam, si omne decretum a se editum sine consensione Civitatum, ratum ac firmum esse debere contendat.

Sit contra suprema Potestas Civium suffragiis Principi commissa. Is in tanta negotiorum multitudine omnia per se obire, omnia ad calculos ipse suos vocare cum nequeat, opera Assessorum, consilio Ministrorum, fide Magistratuum suorum utatur necesse est qua in conditione Imperii stultissimus ille sit, oportet, qui putet, nullum parere fraudibus, nullum calumniis, nullum odio, nullum invidiæ, nullum avaritiæ locum: qui fore speret, ut Supremus Princeps, a suis male circumventus, nunquam ab æquitate juris, nunquam a bono publico, nunquam a salute Civitatis in decernendo, in edicendo, in lege roganda deducatur.

Quod

Quod si totum in quovis Imperio accidere solere, vox omnium una communis etiam bonorum querela declarat, quanto esset magis hoc ipsum timmendum in iis Moderatoribus, quis in amplissima rei christianæ jurisdictione, leges vellent omnes suas per se esse ratas, quibus alieni Imperii cives, in maxime dissitis locis, in maxime diversis gentibus, obligaret, non prius consulto Magistratu, in Civitatibus maximo?

Quare, ut rem totam in pauca conferam, ex natura, ac conditione humanis generis fieri necesse est, ut Supremus Princeps, æque, religiosus, ac politicus, per errorem humanum non raro aliquid statuat, non raro legem aliquam roget, quae, cum bono, ac saluti Reipubl. noceat, nullo colore œconomico oblita, nulla vi arbitraria suffulta, debeat rata, ac proba judicari, debeat in *omnibus* Provinciis valere, debeat ab aliis principibus summis probari.

§. XXXV. *Nihil præstantia Legislatoris suffragetur legi, quæ palam sit futura noxia.*

HIc ego sæpe mecum eos soleo mirari, non dicam juris Pontificii consultos, sed litium potius in Aula pontificia Studiosos, qui, siquando

siquando Supremus in Republ. Magistratus cum Pontifice Summo dissentiat de utilitate hujusmodi legis, non tam velint, jus esse dubium, ac controversum, uter utri sit in ea contentione præponendus, quam de plano statuant, fasces Romæ ab omnibus sub mittendas. Nam quid est opus contensione inter eos Principes? Si enim aperte, si palam, si evidenter, si manifeste appareat, legem propositam damnum publico bono esse allaturam; nihil, opinor, erit controversiæ, sit ne tota lex ab utro Principe sacro profanove feratur repudianda nec ne sit tunc enim sine controversia Laicus Magistratus sacro, Sacer laico jure suo resistet, politicus Ecclesiastico, Ecclesiasticus politico ex fide bona repugnabit. Omnino illud æquitatis, atque humanitatis ratio postulat ut uterque Princeps alteri causam suam probet, alteri argumenta aperiat, rationes candide, ac simpliciter expediat, quibus adductus, aut probandam judicet, aut reprobandam legem propositam in Imperio suo censeat. Quod si in eum modum fiat, quis a persona publici Magistratus, cui suprema lex fuerit salus reipubl., non sibi polliceatur, fore, ut sine fuco, ac fallaciis, more majorum res tota inter Romanum Pontificem, atque Politicum Principem conveniat.

At

At si alter Magistratus, a quo lex, a quo edictum, a quo decretum proferatur, ab altero de rei pernicie, de damno publico suorum & monitus., & appellatus, nihil ad rem propoſitam respondeat, multa extra chorum vociferetur, subtili quadam calumnia alterius rationes eludat, per occultos cuniculos grassetur; tum quamvis vel Apostolicam Potestatem, vel œconomicam Providentiam, vel magnifica Imperii, Majestatis, concordiae, pacis, utilitatis amplissima nomina obtendat; profecto alter Princeps, cui oculis proposita suis certa pernicies legis obversetur; ei obviam ire, eam a suis arcere, officio conscientiæ suæ ductus omnino Conſtringetur.

Est enim non opinione, sed natura, non instituto humano, sed jussu divino ea dicta Lex omnibus Reipubl. Moderatoribus, ut communi suorum civium utilitati consulant, ut bonum public., ut Juſtitiam, ut salutem civitatis nullius potentiæ, nullius arbitrio, nullius Imperio gratificentur. Quo fit, ut plane sit importuna disceptatio (*a*) de præſtantia Poteſtatis in altero Principe, ubi de approbanda alterius lege, quæ plane sit civibus nocitura, agatur.

§. XXXVI.

(*a*) Pallavic. lib. 8. cap. 15. num. 6. hiſtor Conc. Trident.

§. XXXVI. *Catharina Augusta. Clementinæ pacis perniciem in Alba Russia præsentit.*

VEnio jam ad Catharinam Augustam, cui ea ab omni parte comperta fuerat labes ea pernicies, ea strages, quam Civibus in Alba Russia suis allaturum esset Clementis XIV. illud de Jesu Societate extirpanda consilium multa dedita quidem opera hoc loco præteriborem ad duo capita dumtaxat revocabo: alterum petetur ab opera, quam Jesu Socii ponerent in excolenda fide, ac disciplina eorum Catholicorum, quos utriusque ritus sibi subjectos Imperatrix haberet; alterum, ab institutione Juventutis catholicæ in studiis, ac litteris Jesu Sociis commissæ; quæ duæ res decreto illo Clementino palam impetitæ ejusmodi esse Imperatrici videbantur, quæ perniciem illi Ecclesiæ essent sine ulla dubitatione importaturæ nisi ibi abolitio auctoritate publica caveretur.

Hic de te, mi Bolane, non ita sane existimabo, ut non plane mihi persuadeam, te ab æquitate Imperatricis aperte staturum in decreto repudiando, si semul tibi constet, in Alba Russia & disciplinam, & eruditionem catholicam sine opera Jesu Societatis pessum ituram: fuissenec enim, opinor, non in mane

immane illud dictum certi cujusdam Ministri Regii tu ipse detesteris, qui Jesuitas ab America tota deportandos ea lege, ne dicam, sinistro omine præcipiebat, etiamsi aperte & Americæ Religio, & Majestas tota Imperii Hispanici eorum exilio in certum discrimen ventura esse videretur.

Atqui quod experientia, illa stultorum, ut ajunt, magistra, alibi jam palam omnibus ostendit, Societatis publicam ruinam non parum Catholicæ & disciplinæ, & institutioni attulisse detrimenti; cum hoc totum divinior Catharinæ Augustæ providentia illico futurum præsensisset, obviam venienti malo in Alba Russia sibi esse eundum, rejiciendo Clementino decreto, existimavit. Illa enim & secum & cum Ministris, opinor, suis, statim agitare: Itane vero? Me non consulta, vulnus meis civibus religiosis infligi me non permittente, fulmen a colle illo Vaticano in hos meos Jesu Socios emitti? Miseret ne quidem bonæ hujus Societatis, de qua, memini, me audire dicentem quemdam id quod de Græcia olim Horatius. *Quid quid delirant plectuntur Archivi*. Sed vincat tamen maternum hunc animum meum erga Jesu Socios Clementis XIV. severitas. At quid de tot catholicis in Alba Russia fiet, si ibi opera illius

Societatis desideretur ? Quis in tanta Sacerdotum penuria ; Quis in tanta munerum piorum inopia , ibi Catholicæ disciplinæ , ibi Sacramentorum frequentiæ, ibi eruditioni , doctrinæ, institutioni Juventutis consulet ? Mihi suprema lex Reipubl. salus . Lex mihi nulla , quæ in Imperio meo meis perniciem afferat civibus . Non Clemens XIV. , non Clementis Nuncius , non Nuncii Minister aliquis, in Alba Russia meis rationibus incommodabit.

Neque vero non satis Catharina Augstissima jam tum animo præsentiebat , quam parum futurum esset auxilii contra vim imminentis periculi in illa Clementis promissione, in Brevi abolitionis dum (§) Quod *ad sacras ajebat Missiones attinet* ,, Quarum etiam ratione intelligenda volumus, quaecumque de Societatis supressione disposuimus, Nobis reservamus ea *media* constituere , quibus Infidelium conversio *facilius* , ac *firmius* obtineri possit " . Large , prolixe , magnifice , liberaliter Clemens pollicebatur. Quo rei catholicæ emolumento ? Duodeviginti enim anni sunt ab illo decreto elapsi. Quod rebus afflictis auxilium ; quod perditis allatum remedium ? Quasi vero pax Ecclesiæ, dicis causa ostentata , non bonorum omnium judicio in Religio-

nem ,

nem; in disciplinam, in bonos mores, in doctrinam, in institutionem Juventutis ferale classicum cecinisset.

At enim Episcopus ille Mallensis usus opera utriusque Cleri Sui, imminenti ruinæ Ecclesiæ Moschuanæ obviam ivisset. Imo vero Mallensis ipse se ire obviam malo proximo non posse testificabatur iis litteris, quas Romanæ Aulæ scribebat. „ Cum Imperatrix Societatis suppressionem in sua ditione permittere omnino nolit, & ex alia parte magna *inibi penuria* sit aliorum Sacerdotum, qui ad spirituale regimen, atque institutionem catholicorum satis sint idonei, in eas se *angustias* esse conjectum, ut vastam diœcesim *deserere cogatur* “. Quid tu, mi Bolane, existimas? Utrum tibi mentitus Mallensis negare videtur, futurum; ut extincta Jesu Societate, Episcopus iis Operariis careret, sine quibus amplissima illa Diœcesis regi, atque coli omnino non posset; an totum illud Ecclesiæ Moschuanæ detrimentum pro nihilo fuisse a Pontifice Romano, a Mallensi Episcopo, ab Imperatrice habendum, modo, Regiorum ministrorum odio in Jesu Socios ab omnibus indulgeretur?

Mentitum Mallensem studio erga Jesu Socios si dixeris, Nos te vere de Mallensi judicare negabimus, qui ardore quodam extinguen-

dæ Jesu Societatis flagrare videbatur. Sin Augustissimæ Imperatricis indulgentiam, atque officium in exteros Ministros requires, næ tu omnibus rediculus videbere, qui illius Heroinæ vim ingenii, consilii, prudentiæ, integritatis maximam, ubique & gentium, & locorum hinc usque ad sidera cognitam, ac celebratam, aut nescias, aut certe dissimulare velle videaris. Lege, obsecro tom. 4. cujus apolologiæ.

I nunc, & una cum obtrectatoribus Jesu Societatis male de Augusta Imperatrice; male de Russis illis Jesu Sociis loquere. Illud certe nemi persuadebis, nisi iis, quiscientes & prudentes velint errare, non necessariam visam fuisse Imperatrici Jesu Societatis operam in Alba Russia, non ejus Imperatricis fuisse, summa constantia ex Principatus jure legitimo, imminens suis periculum procul ab Imperio suo arcere. Quamquam ego cum videam Imperatricis illius causam eodem esse jure, quo Clementis XIII. adversus regios ministros causa fuisset, cum pro Jesu Sociis contra illorum vim, ac potentiam palam veniebat; non possum omnino, quin mihi persuadeam, te, pro tua æquitate cum Catharina Imperatrice staturum. Vides enim non aliis de causis Clementem XIII. decreta repudiasse a profano Magistratu in Jesu Socios prolata, quam

quibus

quibus adducta Imperatrix, noluerit Breve abolitionis Ganganellianæ in Alba Russia Sua palam edici. Neque vero tam inique tecum agam, ut de te illud suspicer, non satis bene de Clemente XIII. velle sentire, ut omnino possis male de Augusta illa Imperatrice opinari. Nec enim opinor tibi placere id quod unum sequebantur Adversarii Jesu Societatis, ut ex eosdem ore, quod ajunt calidum & frigidum, modo id esset eam Jesu Societatem læsurum, afflare non dubitarent.

§. XXXVII. *Ex certissimo Augustissimæ Imperatricis Catharinæ II. privato jure repudiandi abolitionis Decretum Incolumis in Alba Russia Jesu Societas.*

Salva Jesu Societas.

HActenus igitur ex Jure quodam Imperii, summis quidem Reip. Moderatoribus communi, mihi satis videor probasse, Catharinam II. & potuisse, & vero debuisse, Clementino illi de extirpanda Jesu Societate Decreto in Alba Russia sua refragari. Nam sive illud pro *Judicio & Sententia*, velis, mi Bolane, haberi; innocentia Jesu Sociorum, in illo Imperio satis superq: omnibus spectata, Catharinam II. ad defensionem suorum Civium, eorumq: Sacerdotum, hortari videbatur: sive

tibi

tibi ex illo ipso Decreto *legem* exculpere mavis (quasi Romæ ex quovis , quod ajunt , ligno Mercurium fabricari licuisset) ipsa utilitas Reip; sæpe juris , atque æqui mater , & origo , Catharinam Augustam suorum Civium humanissimam Parentem potius , quam Imperatricem , omnino adigebat , ut Decreto , quod & stragem præsentem , & futuram perniciem in Albam Russiam inferret , manus inimicas injiceret .

Nunc ad alias non communes , sed privatas quasdam Catharinæ II. causas descendo , quibus illa , si modo sibi , si fidei suæ , si costantiæ Imperii , vellet consulere , quam illa una omnium maxime Principum antea visa fuisset servare , cogebatur integram , atq: incolumem Jesu Societatem in nova Albæ Russiæ Provincia sua tueri .

§. XXXVIII. *Tribus de causis jure proprio Catharinæ licuit Abolitionem Jesu Societatis repudiare .*

TRes ego dico fuisse causas , quæ Imperatricem in decretum Clementinum proprio quodam jure obarmarent . Primam ex illo repeto Catharinæ II. Edicto quod illa Nonis Septembris 1772. ediderat tam , cum

suo

suo Juri Albam Russiam asserebat, anno fere toto ante abolitam Romæ, si Divis placet, Jesu Societatem; cujus quidem Edicti vim denuo luculenter expositam in ea epistola, quam ad Nuncium Pontificis Romani Archettium Mense Octobri scribebat, (*a*) apertissime confirmabat.

Al-

(*a*) Ego Zaccharias Comes Czernizevvius) Marescallus Imperatricis Ruſſiarum Dominæ meæ, Pro Præses Collegii Bellici Imperialis, Prætor Albæ Ruſsiæ &c. &c.

Juſsu Imperatricis Dominæ meæ hoc præſenti Edicto, quod ad communem & salutem & securitatem omnium horum Imperatricis illius noſtræ Subditorum mihiq: jam charissimorum Civium, in publicum recte atque ordine edo, omnibus fidem publicam facio, Imperatricem Auguſtam polliceri, se univerſis & ſingulis Albæ Ruſſiæ Civibus non modo liberam suæ cuiq: illorum Religionis facultatem, uſumq: eſse conceſseram, Bonorumq: item omnium poſseſsionem tanquam raram, ac legitimam iisdem conservaturam; verum etiam materna quadam indulgentia eos ipſos, ſine ulla exceptione, in communia jura & libertatis, & honoris, & dignitatis ſuorum priſtinorum Civium ſibi parentium admiſsuram: Eandem Imperatricem Auguſtam ab ſingulis Albæ Ruſſiæ Civibus cujusvis Ordinis, & Nobilitatis, & Cleri, & Dynaſtarum, pro Imperii jure fidelitatis Jusjurandum exigere, quod ſolemni more intra hunc ipsum Mensem apud Miniſtros, a me ad id delectos jurare a ſingulis oporteat.

Quod ſi quis, cujuscumq. demum Ordinis fuerit, Bonorum immobilium Dominus, ac Poſseſsor in ea obſequii verba ſibi non eſse jurandum ſtatuerit, huic ipſa Imperatrix Auguſta eam veniam facit, ut intra menses tres & bona vendat propria, & aliò arbitratu suo demigret: quod ſi ad dictum trimeſtris spatii diem non fuerit executus, jam nunc edicit Impe-

Alteram invenio causam in capite, sive articulo II. Alienationis, vel Cessionis Albæ Russiæ, quam Rex, & Resp. Poloniæ in comitiis generalibus in ditionem Catharinæ venire restipulabantur die undecimo Sept. Anni 1773.

Tertiam deniq: repeto ex Articulo V., quem ascriptum pactis conventis cessionis Albæ Russiæ, & Josepho Garampio Nuncio Apostolico, & Rege Poloniæ ut Patrono postulantibus, Augusta Imperatrix subscripsit die 18.

---

peratrix Auguſta, relicta ab illo bona Fisco eſse addicenda?

Jam, quod fas, jusq: ipſum ſponte ſua, præcipit, ſibi ab Omnibus, & religioſis cujuslibet Communionis Præfectis, & eximiis in Rep. Civibus, illud Auguſta ſibi Imperatrix pollicetur, fore omnino, ut & ipſi in verba ſua fidei, atq: obsequii cauſa jurent, & aliis ejuſdem devotionis, & Sacramenti concipiendi Auctores eſse velint, a quibus demum omnibus illud poſtulat, ut in sui quiſque & ſacris, & religioſis ceromoniis cum suam Auguſtæ ipſius, tum Filii sui Pauli Petrovisckii, ſibi in Imperio deſignati Succeſsoris (Civibus suis onnibus chariſsimi Principis) salutem atq. felicitatem Superis commendent.

Nemo eorum vero Civium, qui in Alba Rûſsia vivant, ac ne Hæbrei quidem, modo in fidem, ac verba Auguſtæ Imperatricis jurare voluerint, nemo non publica ſecuritate, non beneficio hujus Edicti, non poſseſsione Juris sui ſub auſpiciis auguſtiſsimis Catharinæ Imperatricis fruetur.

Edictum hoc die 5. Septembris An. 1772. in omnibus templis legitor, in tabulas publicas refertor, in locis ſolitis affigitor.

Datum. Petropoli die 5. Sept. 1772. Ex hiſtoria Anni 1772. pag. 59. Typis Pitterianis.

18. ejusdem mensis, anni 1773; scilicet post Decretum Clementinum de ruina Jesu Societatis in Polonia jam promulgatum.

§. XXXIX. *Edicto Suo Catharina Augusta pollicita, Nihil novijuris in Alba Russia Sua a se iri institutum.*

PAucis amabo te, mi Bolane, fac vel ipse ant. ascriptum paginæ edictum Augustæ Catharinæ legas, quo ineundo fœdere in verba sua Albam Russiam adigebat, vel saltem ex illo edicto, ex illo fœdere, ex illo Sacramento, a Civibus illis Jesu Sociis in Augustissimæ Imperatricis nomen concepto, quid illam illis præstare patrocinii, quid ferre auxilii, quid vindictæ adversus externam vim adhibere oporteret, mecum una concludas.

Vides opinor, quam Augusta fidem omnibus Albæ Russiæ incolis obligavit suam; quid juris omnes illi ad securitatem publicam sibi a Catharina II. compararint, ubi in verba illius recte atq. ordine jurati fuerint.

§. XL. *Jesu Socii in Alba Russia edicto Imperatricis officiose, & pie parent.*

AT nemo est omnium, qui vel ignoret, vel ignorare se simulet, illos e Jesu Societate

cietate in Alba Russia Viros, edicto statim proposito, conceptis Jurisjurandi verbis paruisse

Neq: hoc solum constat eos Jesu Socios fidelitatis pignus palam dedisse, verum etiam quotidianis & Sacris, & precibus Deum pro salute Imperatricis suæ Augustæ ritè ex Pauli Apostoli formula ſuisse veneratos: nec enim sibi religiosi illi Sacerdotes verendum existimabant, ne quis ipsos ea de causa schismaticos, ac seditiosos diceret, si pro Catharina, Grecæ communionis Imperatrice, Divis supplicarent.

Si cui vero, mi Bolane, eam suspicionem incidisse tu ipse nòveris, eum, quæso, in viam ab errore, legendis Apostoli verbis, reducere ne graveris. Sic enim præcipiebat Apostolus 1. Tim. 2. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Atq: his Pauli præceptis admonitus optimus ille ac prudentissimus Ignatius Lojola Jesu Societatis accuratissimus Legislator, in hunc modum scribebat Const. p. 7. cap. 4. 9. 3. lit. A.

Omnes

Omnes curent frequenter orare pro univerſa Eccleſia, ac pro iis præſertim, qui majoris ſunt momenti ad ejus univerſale bonum, cujuſmodi ſunt Principes Eccleſiaſtici, & Sæculares, qui multum prodeſſe, vel obeſſe bono animarum poſſunt.

Et te quidem plane video, non limis, quod ajunt, oculis, mi Bolane, & Pauli præceptum, & Ignatii locum, & illius Jeſu Societatis obſequii religioſiſſimam fidem eſſe lecturum: in quo ſatis ego certe ſcio non eos habebis tecum conſentientes & Philoſophos, & Janſenianæ factionis Sectarios, in perniciem Eccleſiæ confœderatos (pares enim in impietate cum paribus facillimè congregantur) qui omnes Jeſu Socios Principibus infidos, adverſos, refractarios idcirco calumniabantur, ut ad extremum illi ipſi omnia obedientiæ, obſequii, fidei vincula impunè ubique Gentium refringerent.

§. XLI. *Catharina II. fidem Jeſu Sociis præſtat in tuendo eorum ſtatu priſtino.*

Redeo jam ab obſequium unius Moſchuanæ Jeſu Societatis. Illa enim juſſa quaſi cenſum rerum omnium ſuarum ex ſcripto Imperatrici exhibere; hoc veluti Rationa-

rium (*a*) Prætori suo traditum Petropolim mittendum curabat.

Neq: vero Catharina Augusta, fidei publicæ una omnium retinentiſsima, cum ſibi mirum in modum & fidos, obſequioſos, & morigeros Jeſu Socios ſuos videret, non ipſa continuò id quod erat omnibus palam ex edicto pollicita, reipſa præſtabat, ut eos in priſtino ſtatu, quo fuiſſent, in poſterum conſervaret; cum non eos modo juberet & Eccleſiæ, & Reip. ex instituto Ignatiano in domiciliis, ac templis priſtinis operam navare ſolemnem; verum etiam cum Archiepiſcopo Græco Polocenſi Jaſoni Smògorzevvkio, qui litem adverſus Polocenſe Jeſu Societatis Collegium Romæ adverſus ſe deciſam Anno 1758. Petropoli renovare conarètur, ſilentium in ea cauſa denuo impoſuit, quod Romæ ante jam fuiſſet poſt tertiam in ſacræ Rotæ deciſionem impoſitum. (*b*)

§. XLII.

(*a*) Adnot. VI.

(*b*) Hujus ſilentii decretum a Benedicto XIV. editum anno 1756, extat in Tabulario Pontificio, & Collegii Pollocen.

§. XLII. *Catharina II. agit, ut Russia Jesu Societas in formam Provinciæ redacta, a Provincia Masoviæ distrahatur.*

QUo vero melius & illis Jesu Sociis suis, & Imperio in Alba Russia suo Catharina consuleret; vix ipsa Provinciam, nuperimè illam suæ jurisdictioni vindicatam creverat, cum diligentissimam dare cœpit operam, ut totam illam Jesu Societatem in meliorem etiam statum, ac conditionem adduceret.

In eam autem rem cum Præposito Generali totius Societatis per litteras Augusta sibi agendum putabat, ut a Provincia Masoviæ, cui fuisset antea attributa, illa Moschuana Jesu Societas sua separata, nova vel Provincia constitueretur, vel Vice-Provincia. Id præterea ex hoc Imperatrix assecutura, ut qui suo subessent Imperio, Præfecto Provinciali alienæ ditionis parere non cogerentur id quod plerumq: imperantes Principes propriæ Regnorum suorum œconomiæ adversari putant. (*a*)

Cumq:

(*a*) Sæpè alias & poſtulatum fuerat ab aliis Principibus, & a Præpoſitis *Jesu* Societatis Maximis conceſsum, ut nova Provinciarum partitio; habita novæ ditionis ratione, fieret.

Maximiliano Josepho Duci Bavariæ datum Anno 1768., ut nova Provincia Jesu Societatis in Bavaria inſtitueretur.

Fiderico II. Boruſſiæ Regi poſtulanti itidem conceſsum eſt, ut

Cumq. Imperatrix cum ad præsentem salutem, cum ad perpetuam suorum Jesu Sociorum incolumitatem omnino esse necessaria duo in illa Provincia domicilia videret, alterum Collegio maximo studiorum causa, alterum tirocinio probationis gratia destinatum, ea a maximo totius Societatis Magistro obtinuit, ut in Alba Russia Provinciam a Masoviana Provincia sejunctam esse juberet.

Itaque cum jussu Riccii Masovianæ Provinciæ Præfectus tres ex Alba Russia Jesu Socios designasset, Romæ creatus est, qui Proprovincialis Præpositus novam Proprovinciam illam regeret Stanislaus Czernievvistius eo tempore Collegii Polocensis Moderator; quo facilius Vir ille, & vitæ religiosæ merito, & prudentiæ diu spectatæ laude, & amplissima a Generali Præposito sibi facta facultate, Imperatrici Augustæ in rebus omnibus cumulatissime satisfacere posset.

§. XLIII.

---

ut Sileſiani *Jesu* Socii in Vice-Provinciam Sileſianam contribuerebtur.

Caroli Emmanuelis III. Sardiniæ Regis poſtulatis, quæ Provincia ad nomen hispanum pertinebat, ea ab Aſſiſtentia Hispaniæ diſtractæ Aſſiſtentiæ Italiæ aggrebatur. Quæ icireo ſignificata volui, nequis aut Imperatricis inuſitata petitio, aut nova Riccii conceſſio videretur.

§. XLIII. *Breve Abolitionis Roma celeriter Varsaviam missum, inde in Albam Russiam mittendum.*

IN hoc rerum statu, cum Catharina maxime saluti, maxime stabilitati, maxime rationibus novæ Provinciæ Societatis suæ consuleret; cum Albæ Russiæ suis illis Civibus publicam fidem de tuenda pristina conditione, sive Statu quo (sic enim nostri Politici loqui amant) dicto nuper fœdere dedisset, ecce tibi e Vaticano clivo in universam Jesu Societatem immissum rubente dextera Clementis XIV. fulmen, quo non tam illa ipsa Jesu Societas conflagraret, quam universa Respublica & religiosa, & politica (id quod tristissimo exitu comprobatum hodie boni omnes lugent concuteretur.

Ergo ferale Clementis Decretum, vix Romae vulgatum, in Poloniam maximis itineribus ferendum veredario dabatur, qui illud Garampio citius ictu, quod ajunt, fulmineo, una cum litteris, plane in sententiam Inimicorum Jesu Societatis scriptis, traderet: quibus quidem litteris illi Nuncio Varsaviensi nunciabatur, ut sine ulla mora Decretum Pontificium Petropolim ad Catharinam II. perferendum diligentitissime curaret, a qua veniam abolen-

abolendae in Alba Russia illius Jesu Societatis, indicendo rite Decreto, Garampius postulare, si opus esse ipsi videretur.

Haud sane omnia, quae jure fortasse possim, mihi arbitror exagitanda. Olim certe Romæ illud ex ore Augusti Imperatoris vigebat, *lente esse festinandum*. At fuerit sane ratio tota ad celerem perniciem Jesu Sociorum Romae immutata, fuerit Oratori hispano, famosissimo illi Mogninio, aureo quidem hamo Romae, quod ajunt, piscari feliciter, apud Aulam vero Petropolitanam corrosum hamum aureum perdere, solito, in ea festinatione servitum; cujus in litteris ad Sororis suae Filium Bononiam sub illud tempus scriptis, ea erat verissima Sententia: se plane operam, & oleum perdidisse, nisi vi, dolo, precibus, pretio in Alba Russia, vellet, nollet Imperatrix, Breve indiceretur Clementinum.

§. XLIV. *Garampius Nuncius parum prudenter Brevis Ganganelliani in Alba Russia executionem urget.*

NOndum illud quaero, quam prudenter Garampius Petropolim Decretum ejusmodi præpropere miserit, quod in Augustæ Imperatricis Cives religiosos, non illa quidem con-

consulta, non rogata, non conventa, prius Clemens edidisset, qui tamen Sententiam omnium Europæ Principum, id quod Catharina non nescire posset, de non recusanda abolitione ante editum Decretum suum rogavisset.

Esto sane: Garampius, ut Romanis Jussis obsequeretur, Petropolim mittendum Breve Clementinum judicaverit.

Illud vero quis demum erit quin in Garampio quidem uno, si unius erat Garampii consilium, aut in Aulæ etiam Romanæ Ministris, si eorum erat preceptum, vehementissime notandum censeat, quod Garampius ab Episcopo Vilnensi contenderit, ut is per suffraganeum suum Episcopum Felicem Tovianskium in Collegiis suæ Diœceseos, quæ Catharinæ II. parerent, sine Augustæ venia, ipso facto Decretum Clementinum & statim indiceret, & exequeretur indictum?

Vereor enimvero, ne quis in hac re tota non modo æquitatem, sed prudentiam quoque valde requirat; animos contra non ab odio, non ab amicitia, non ab ira, non a turpi lucro, non ab infami ambitione, non a præcipiti temeritate vacuos eorum apertissime videat, per quos ea causa agebatur. Certe illud ut semper valuit, sic in posterum valebit:

R *haud*

haud facile animus providet, (a) *ubi illa mala officiunt*, *neq: quisquam omnium libidini simul*, *& usui paruit*.

§. XLV. *Quæ causæ Garampium a proposito indicendæ Abolitionis deterrere debuissent*.

NAm quid demum erat, quod Garampium non dehortaretur, ne Decretum vellet ad Catharinam tam festinanter missum? Non publica Augustæ fides nuperrime cum novis Civibus suis pacta? Non fœdera recentissime ritu solemni cum tota Alba Russia confirmata? non spectata satis omnibus in Catharinæ constantia? Non salus ipsa ejus Catholicæ Ecclesiæ in mentem Garampio veniebant? Non Romana Aula hæc omnia præviderat?

Nam, proh sancta Christi fides! Cui non in mentem veniret, Catharinam II. suis publico fœdere Civibus incolumitatem, iisdem prioris conditionis, *statusq. quo* conservationem pollicitam, manibus, pedibusq. obnixe omnia facturam esse, ne Jesu Socios suos, nihil in se, nihil in leges suas, nihil in commune bonum commeritos, de statu pristino deturbari in Alba Russia pateretur? Quasi vero si Catharina ipsa insontes Jesu Socios suos exauctorari aliena vi sivisset; non omnibus futurum fuisset

Civibus manifestum, ludum, & jocum fuisse politicum totum illud fœdus, nuper ab illa in Alba Russia sancitum, quod in Jesu Sociis levius alga projecta tam cito unis Garampi litteris evasisset.

Adeone rudes, adeone vel Sarmatas, vel Scythas, etiamnum Garampius eos in Alba Russia homines sibi fingebat, ut, si Jesu Socios illic in ordinem redactos, illic exauctoratos, illic domo, lare, templo, bonis omnibus deturbatos, volente Catharina, viderent, non continuo novo Imperio diffiderent? non rebus ipsi suis imminens periculum exhorrerent? non illud a latino Poeta (*a*) etiam in extrema illa Scythia usurparent.

„ *Jam Deiphobi dedit ampla ruinam Vulcano*
„ *superante domus: jam proximus ardet Ucalegon?* "

At quod Garampius aut non videbat, aut vidisse se dissimulabat, ut Aulæ Romanæ cæcius, quam officiosius gratificaretur, hoc totum Catharina non poterat non assiduo meditari, non perpetuo sibi ob oculos ponere; non pro suo ipsius studio in præstanda omnibus fide constantissimè exequi.

(*a*) Virg. 2. Æn. v. 310.

Neque vero si per ea tempora nondum Catharina tam multa, tam late patentia, tam omnibus laudata argumenta dedisset, quæ consecutis annis in salute Tartarorum (*a*) tutanda, in patrocinio Græcis Bosphorariis præbendo (*b*), in eorum libertate adversus Turcarum impetus armis suis vindicanda ostendit; propterea sibi Garampius debebat polliceri, Catharinam, prodita erga Jesu Socios fide, juri naturali, juri Gentium, juri civili esse defuturam, ut alienæ libidini potius, quam suorum Civium usui, vellet consulere.

Et vero si se paulisper Garampius collegisset, accepto jam imperioso Clementis Decreto, profecto hæc ipse secum esset locutus. En quid agam? Catharina nuper incolumitatem suis Jesu Sociis in Alba Russia publice promisit. Jus est naturale; ut fœdera publica sint omnibus sacrosancta; Jus est Gentium, ut pactis conventis a suprema potestate stetur; Jus est Civile, ut nemo sine culpa, sine causæ dictione, sine legitimo Judicio de statu suo deturbetur. An Augusta totius Juris retinentissima, quæ si verum quæris, nonnihil Romæ male accepta, imo etiam sub injuriose tra-

(*a*) Ex hiſt. Anni 1737. Typis Pitterianis. p. 21.
(*b*) Ex hiſt. Anni 1782. Typis Pitterianis p. 285.

tractata, adhuc de consilio abolendæ Societatis, jampridem ibi inito, fuerit celata, facile datura est aures Clementino Decreto? facile ansam datura est, ut possit suis Civibus videri, jus, fasq. omne, leges naturales, civilseq. omnes violasse?

Hæc, satis certe scio, si tantisper Garampius fuisset commentus; neque Petropolim tam properanter Breve misisset, neq. furtim in Alba Russia per Episcopum Vilnensem illud indici voluisset.

§. XLVI. *Catharina II. ex fœdere inito an. 1773. sucesserat in jura, quæ Polonia ante in Alba Russia obtinuisset.*

NUnc jam propius ad optimæ Catharinæ Augustæ consulta in causa Jesu Sociorum, relictis aliorum vel peccatis, vel non admodum bene consultis, accedendum mihi idcirco esse arbitror, ut simul iniquissimas de Augusta querelas, simul malevolentissimas in illius Jesu Socios criminationes, possis, mi Bolane, refutare, quanquam de hac ipsa re pluribus fortasse a nobis alias agetur.

Nunc, quæso te, una mecum perpendas, quid novi juris, novæq: facultatis Catharinæ Imperatrici ad repudiandum Clementinum illud

lud Breve de Jesu Societate abolenda in Alba Russia accesserit ex capite, sive articulo, ut dicunt, secundo cessionis Albæ Russiæ, quam Resp. Poloniæ illius dominio concedebat ex fœdere Mense Septembri inito an. 1773. In pactis enim conventis pridie idus Septembris ejusdem anni, quæ tu ex fastis, sive historia an. 1773. typis Pitterianis edita pag. 126. facile cognosces, illud erat legitime constitutum, ut quidquid antea juris Rex, & Resp. Poloniæ in Alba Russia habuissent, id totum esset Imperatricis Russiarum in posterum proprium, atque perpetuum. Articulus secundus est hujusmodi.

„ Rex Poloniæ nomine suo, & Successorum suorum; Ordines item, Comitia Generalia Reip. Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ hoc tractatu irrevocabili in perpetuum, & sine ullo regressu cedunt Russiarum Imperatrici, & suis Hæredibus utriusq. sexus has terras *Albæ Russiæ* cum omni jure, dominio, & liberrimo Imperio Civitates, Castra, Pagos cum omnibus fluminibus, & omnes Subditos ibidem commorantes, eos liberando, immunesq. reddendo ab omni tributo, vectigali, obsequio, & juramento fidelitatis Regi, & Reip. Poloniæ præstito; cum omnibus juribus tum in civilibus, ac politicis, tum in spiritualibus &c.

§. XLVII.

§. XLVII. *Jus Poloniæ in reprobanda Abolitione Ordinis Religiosi exemplo antea testatum in Scholis Piis.*

AGe porro, mi Bolane, nunquam ne audisti, quale sibi jus Poloniæ Reges antea jam vindicassent, dum de abolendo ibi religioso aliquo Ordine ageretur? Nunquamne ipse per te legisti? Fac una mecum ex litteris Wladislai IV. Romam missis in ea Scholarum Piarum causa duplex jus alterum repudiandi Pontificis Decreti, alterum interdicendæ ejusdem Decreti denuntiationis colligas in Polonica ditione legitime usurpatum. Ecce tibi Vladislai ipsius Epistolam ad Internuntium Orsium.

„ Domine. Proposui salvam esse in meo Regno Religionem Scholarum Piarum, nec permittere, ut Pontificium Decretum denuncietur, & effectum habeat. Nostram hanc Voluntatem porro declaravimus Nuncio Apostolico, atq: Regni Episcopis (*a*).

Neque vero primarii Polonicæ Ecclesiæ Antistites non in eo jure duplici retinendo Regi sunt assensi suo; Decretum enim illud Innocentii X. dissolvendis Scholis illiusmodi Piis cum

(*a*) in Vita Calaſantii Authore Innocentio a S. Joſeph. l. 8. cap. 20, pag. 209.

cum Archiepiscopi Gnesnæ, & Leopoleos, tum etiam Episcopi Carkoviæ Posnaniae, Culmae, Pomeraniae Chelmae Chioviae exequi noluissent, de consilio suo, atq: æquitate rei totius Pontificem maximum litteris die 25. Julii 1747. certiorem a se fieri voluerunt. (*a*) Qui vero in Polonia Vladislao vita functo mense Aprili Anni 1648. in regia Majestate ſuffragiis Procerum successit, Joannes Casimirus Jagellonus, olim e Jesu Socio jussus Rex esse Poloniæ, in ea Scholarum Piarum causa Decessoris sui Vladislai Sententiam apud Alexandrum VII. constanter secutus fuit (*b*). Nihil est in historia illorum temporum communi Scriptorum omnium memoria notius.

§. XLVIII. *Catharina II. jure suo pristino vetat quiquam in Jesu Societate Russiæ Albæ novari.*

JAm quid nostra hac ætate, mi Bolaue, fuit aut omnium sermone magis vulgatum, aut manifestis Scriptorum omnium monumentis magis testatum, quam Catharinam Imperatricem omni Edictorum genere cavisse, ne quid novi in Alba Russia sua de Jesu Societate per quoscumq:

(*a*) In eadem Vita pag. 210.
(*b*) In eadem Vita l. 5. cap. 18. pag. 443.

scumq: Ecclesiæ Ministros constitueretur? Illud enim eodem usa jure, quo antea Reges Poloni in causa Scholarum Piarum Romanis Decretis fuerant adversati, Profecto Albæ Russiæ suo Zachariæ Czernizevvio Comiti Clarissimo scribebat: Se in illa sua Provincia neq: suppressionem Jesu Societatis, neq: ejus Instituti suspensionem, neq: ullam omnino ac ne omnium quidem minimam in eo corpore religioso, sibi nuper ac suæ fidei subdito, velle fieri mutationem: ob eam rem quæcumq: ad eam innovationem facere possent, omnia a ditione sua pro Imperio arcere, Abolitionis Decretum, litteras Encyclicas ex adjuncto, Aulæ Romanæ scripta id genus omnia. Quin etiam ajebat præcipere se, ut idem Comes Albæ Russiæ Præfectus suo Imperatricis nomine certiorem omnino faceret Felicem Tovianskium, Episcopi Vilnensis in Alba Russia Suffraganeum nolle se novi quidquam in illa Jesu Societate induci; (quod ipsum denunciari jussit Mallensi, postea Tovianskii Successori.)

Quo circa in mandatis eidem illi Comiti Albæ Russiæ Prætori diligentissime dabat, ut Voluntati suæ omni studio, curaque inserviret; ut cum in Violatores ejus Edicti sui Comes inquisisset, siquos ejus culpæ affines reperisset, eos in exilium ejiciendos ab omnibus Imperii sui finibus curaret.

Quæ cum in nova Albæ Russiæ Provincia Catharina Imperatrix provideret, eodem illa ipsa tempore pro jure scilicet pristino, quod Poloniæ Reges ante legitime usurpassent, per litteras Varsaviam missas Oratori suo Comiti clarissimo Stakelbergio præcipiebat, ut non verbis modo suis, sed ex scripto etiam, si id opus esset, & Regi Poloniæ, & Nuncio Pontificio Garampio testificaretur. Nolle se novi quidpiam in suis Albæ Russiæ Sociis per Clementini Decreti occasionem institui:

§. XLIX. *Quod Regibus Polonis antea jure licuit id nunc Catharinæ in Alba Russia licet.*

HIc non ego tecum, mi Bolane, qui studio partium liber ea, opinor, non videre te neges quæ oculis ipse tuis aspicias, sed cum illis Aulæ Romanæ Ministris agam, qui Divis, Regibus, hominibusq. omnibus invitis Schismaticos Jesu Socios in Alba Russia nominabant.

Quid enim horum in dubitationem vocabunt? Non olim Reges Poloniæ jure suo Innocentiano Decreto de Scholis Piis obviam ibant? Non eorum jure omni in Alba Russia Catharina potita Clementino Decreto palam

refraga-

refragabatur? Cur quod illi in Scolis Piis tuendis adversus Innocentium X. potuerint, Augusta Imperatrix in conservandis Jesu Sociis adversus Clementem XIV. minus posse dicatur? Cur non ejusdem Juris vis eadem, eadem potestas, eadem futura sit auctoritas.

Ad te redeo, mi Bolane, qui profecto mihi jam dabis, ut Scholarum Piarum ordo religiosus beneficio Regum Polonorum salvus, sospes integer in Polonia permansit, sic religiosam Jesu Societatem in Alba Russia munere Catharinæ Augustæ nihil de pristino jure suo, nihil de priore statu, nihil de conditione sua amisisse. Nisi vero equum esse illud censeas, ut, quod Jus Roma Regibus Polonis concedit, hoc totum Imperatrici Russiarum eripiat; ut majus ab Imperatrice obsequii officium, quam a Polonis Regibus Roma exigat; ut in Alba Russia post solemnem cessionem magis se posse Roma, quam potuerit ante, contendat; ut Clementinum Decretum meliore Jure nunc esse quam Innocentianum ante fuerit, dicere Roma audeat; ut plus Scholis Piis indulgendum olim fuisse, quam nunc Societati Jesu tribuendum sit, affirmet.

§. L. *Pristina Poloniæ jura Curia Romana fœdere publico in Imperatrice sanciebat mense Septembri* 1773.

REm mihi videor apud te, mi Bolane, plane & factam habere, & perpiscue, demonstratam. At erit fortasse cavillator aliquis (ut ferme cavillari amant, si qui in Jesu Socios jam inde ab Ignatio Conditore, immortale odium una sint cum calumnia professi) erit opinor cavillator aliquis, qui cum non audeant diffiteri & Clementem XIV., & Pium VI. illiusmodi in Imperatrice Russiarum jura agnoscere (id quod paulo post apertius a nobis dicetur) tamen respondeant, Aulam Romanam, cum non nisi ægerrime Clementini illius Decreti repudiationem passa fuisset, eo vel acerbo doloris morsu, vel insanabilis vulneris ictu exulceratam, statim ad Mallensem Episcopum ejusmodi dedisse litteras, quibus denuo illi confirmaret, Jesu Societatem etiam in Alba Russia pro exoleta, pro exauctorata, pro abolita, pro infra omnes mortuos amandata habendam esse; cum nihil antea tale in Causa Scholarum Piarum factum fuisset.

Qua ex re illud fieri dicant, ut exemplo Innocentiani Decreti in Causa Piarum Scholarum nihil admodum Causa illius Jesu Socie-

tatis

tatis fulciatur; siquidem denuo ejusmodi Principum politicorum jura præsens hæc Aula Romana non rata, non legitima, non firma, non æqua probet.

Itane vero? Utrum Aula Romana ejusmodi jura non probat an inimica factio Jesu Societatis erit dicenda Aula Romana. Ubi Gentium sumus? Factiosa, potens, pecuniosa gratiosorum hominum Coitio, nullo auro e contra hostibus Societatis Jesu cura, in Aulæ Romanæ amplissimum nomen invadet?

Sed invaserit sane: nihil jam in eo repugno: Jus mihi Imperatricis Augustæ aliud præsto video ex capite, articulove quinto eorum pactorum conventorum denuo exortum die 18 Mensis Septembris Anni 1773. Ex quo jure calumniam istam totam in fumum abiisse ostendam, præsertim cum illud caput quintum & postulante Clem. XIV., & rogante Nuncio Garampio, & suffragante Rege Poloniæ, sit illi fœderi publico adjunctura. Ecce vero tibi fideliter exscriptum caput illud quintum.

Catholici utriusq: Ritus in his Provinciis habitantes, quæ Augustissimæ Russiarum Imperatrici ex pacto convento cesserunt, ad civilem statum quod attinet, omnibus possessionibus, bonisque suis fruentur.

In iis vero, quæ ad Religionem spectant, omnino

omnino conſervabuntur *in ſtatu* quo ; videlicet in eodem libero exercitio cultus, & diſciplinæ ſuæ cum omnibus Templis, & bonis eccleſiaticis *eodem modo*, quo poſſidebantur, cum ii Catholici ſub dominium Majeſtatis ſuæ Imperialis venerunt 5. Sept. 1772.

Nec Majeſtas Sua Imperialis, nec ejus Succeſſores utentur unquam ſuprema poteſtate, & auctoritate in detrimentum *Status quo* Catholicæ Romanæ Eccleſiæ in commemoratis Provinciis.

Jam ex hoc capite quod & Clementi XIV. Pontifici Regi Poloniæ, & toti Polonorum Civitati, & Catholicis omnibus probatum fuit; quod fuit & Romæ, & Varſaviæ, & Petropoli fide publica ſancitum; quid Juris Imperatrici accedat, quid ſecuritatis publicæ pariatur illi Jeſu Societati, cui ſit ratus, cui ſit certus, cui ſit proprius, ac perpetuus priſtinus in Alba Ruſſia ſtatus; quis demum, non dicam in Aula Romana, ſed in remoto aliquo Europae totius angulo ignoret.

§. LI. *Curia Romana fruſtra molitur ut prius Ruſſis Jeſu Sociis abolitio indicatur, quam Articulus V. fœderis an. 1773. ſanciatur.*

VErum ut nemo ſit tam infenſus, tam inimicus, tam hoſtis illius Jeſu Societatis; quin

quin hoc ipsum cogatur cofiteri: fac quaeso mi Bolane rem totam ordine ex me audias.

Clemens ille XIV., cum Albam Russiam, ubi tam multi viverent Romanae Communionis Christiani, venisse in ditionem Catharinæ Imperatrici videret, suarum esse partium ratus ut illi suo Gregi Maximus Ecclesiæ Pastor prospiceret, per litteras Garampio Nuncio suo præcipiebat, ut a Rege Poloniæ verbis suis postularet, ut caput illud quintum fæderi in Regni totius comitiis, quæ proxime essent futura, adscriberetur, quo Catholici utriusq: ritus saluti, & incolumitati consuleretur, illisq. status pristinus sine ulla mutatione incolumis, atq: integer, quod ad Religionis professionem pertineret, fide publica ab Imperatrice sanciretur. Videret tamen Garampius, ut ab eo fœdere, & ab ea fide publica Catharinæ Augustæ, ab ea incolumitate pristini status Jesu Socii Albæ Russiæ exciperentur.

Quo vero facilius illi Jesuitæ, quos Clemens tam valde insectari cogebatur, in pactis conventis per illud quintum Caput exciderent, Nuncio Garampio eodem tempore mandabat, ut antequam Articulus ille quintus in iis comitiis probaretur; ab Episcopo Vilnensi Ignatio Massalkio obtineret, ut in Alba Russia per

suum

ibi Suffraganeum Tovianskium Decretum abolitionis Jesuitarum Mohiloviæ, Micislaviæ, Orsæ, Polotiae, Vitesbii Jesuitis ipsis coram indiceretur.

Garampius statim rem aggressus nihil admodum obtinuit. Nam illud alterum de indicendo in Alba Russia Clementino Abolitionis Decreto se facturum Massalkius, non consulta prius Augusta, præcise pernegat; quippe quod sine certissima Tovianskii suffraganei pernicie sese non posse conari perspiceret, cum in eo palam esset illud Edictum Augustæ violandum, quo illa Clementinum ejusmodi Breve aperté repudiatum voluisset.

At Garampius non idicirco ab incepto deterritus, interea omnia Varsaviæ moliri, ut articulus ille quintus, quem additum Clemens federi velle dicebatur, iis verbis conciperetur, quibus a salute publica, a communi incolumitate, ab status pristini conservatione Jesu Socii in Alba Russia nominatim exciperentur. Ita sibi a Curia sua in mandatis datum dicere: cum in aliis Christiani nominis Provinciis tum etiam in ipsa Polonia tota extinctam Clementino Decreto illam illorum hominum Societatem periisse; quo factum esset, ut omnia Collegii Polocensis bona, quæ magna ex parte in Poloniæ Reip. ditione sita fuissent,

proscripta

proscripta vi illius Decreti Clementini fuissent (*a*).

§. LII. *Orator Moschuanus coram adversatur Nuncio Varsaviano, ne in articulo V., quicquam Jesu Sociis Russis de statu pristino detrahatur.*

QUæ cum Nuncius ab illa à Rege Poloniæ clarissimo Othone, Magno Barone Stakelbergio, Imperatricis Legato dignissimo, acrius postularet; facile ipsi uterq. dabat, ut in commune, si vellet, novum ac recens caput de non solicitanda Albæ Russiæ conditione, deque pristina Religione detinenda, fœderi adscriberetur; de extirpanda vero denuo ab Alba Russia Jesu Societate, cui jam antea Imperatrix fidem suam de tuendo pristino statu publicam dederat, & minimè aequum videri, & omnino in id novi fœderis Imperatricem non conventuram, Stakelbergius maximè confirmabat.

Quod si tu, ajebat, Romani Pontificis Nuncius, qui nuper Jesu Socios oppressit, ejusdem nomine aequum esse censes, eos nomi-

T na-

(*a*) Imperatrix aliquorum vectigalium immunitate compenſat proſcriptionem Bonorum Collegii a Poloniæ Rep. factam:

natim isto novo articulo mulctari, ne in priore statu permaneant, in quo erant, cum eos in fidem suam Augusta edicto illo suo Nonis Septembris Anno 1772. perlato recipiebat; Ego contra Augustæ ejusdem nomine æquum esse contendo, atq. adeo postulo, ut in eo Articulo ii Catholici Rutheni, qui nunc in Alba Russia tam multi; tam multis tamen antea Moschuana Imperii legibus ab omni Moschorum, ditione proscripti, impune Pontifici Romano obediunt, nominatim excipiantur, ne iis in posterum liceat Romanæ Ecclesiæ illic vivere participes.

Quid enim? cum tu velis, ut Pontifici tuo Romano liceat in novo isto capite illi Imperatricis Augustæ Edicto amplissimo derogare, quo omnes in Alba Russia Catholicos in eadem conditione, inq. eodem ipso *statu quo* fuissent antea, conservaturam sese in posterum polliceatur; Ego non itidem jure meo postulem, ut Imperatrici liceat meæ Decreto Clementino in Jesu Societatem postea edito in Alba Russia sua adversari?

Quæ tandem ista vis esse jura? Jus sit, ut volente Pontifice Romano Imperatrix Ruthenis legibus suis abroget; Romanus contra Pontifiex, volente Imperatrice Augusta, Decreto suo in Alba Russia nolit abrogari? Patereris

ne

ne tu, me Auguſtæ meæ verbis excipere denuo unam aliquam Eccleſiam Ruthenam ex iis; quæ in Alba Ruſſia Romanæ nunc auctoritati, fideiq. parent, ne in poſterum priſtinam Communionem perſequatur? Certe tu recuſabis. At iſtud tu quidem noli a conſtantia, noli ab æquitate Ruſſiarum Imperatricis timere; ſed noli ſimul poſtulare, ut, cum omnibus Romanæ fidei Civibus, omnibus Ordinibus in Alba Ruſſia Imperatrix Auguſta de conditione, ſtatuq. priſtino retinendo caverit; unos Jeſu Socios ibi nunc denuo excipiat; quos non tam voluntati Clementis, quam odio adverſæ cujuſdam factionis, quam tu in Curia Romana bene cognitam habes, perdendos, opprimendos, extinguendos condonet.

Quare vel nihil fœderi adſcribatur, vel ita novus articulus concipiatur, ut in eo ſit confirmatio, ſit ratihabitio illius Edicti ab Auguſta die 5. Sept. Anni 1772. palam lati, in quo ſanciebatur, ut omnes in Alba Ruſſia Catholici ſine ulla ullius Ordinis, ullius cætus, ullius ſodalitatis, ullius Collegii, ullius deniq: capitis exceptione, ea in poſterum eſſent conditione, qua fuiſſent; in eo eſſe pergerent, in quo antea fuiſſent, Religionis ſtatu.

Et humaniſſima quidem Catharina, quæ a

materna potius indulgentia, quam a Juris alicujus vi, atq: auctoritate ante per Edictum suum Moschorum leges adversus Ruthenos Christianos in Alba Russia abrogaverat, novo isto capite fœderi addendo rursus abrogare nihil gravabitur, cum eo tamen, ut Romanus modo Pontifex Decreto ipso suo de abolenda Jesu Societate in eadem illa Alba Russia deroget.

Quod si tuus volet facere Pontifex, eadem opera volet bina jura invicem contraria in ea vigere Provincia: alterum Imperatricis ad Jesu Socios ex illo legitimo Edicto suo ibi in statu pristino conservandos: alterum Pontificis ad eosdem illos Jesu Socios per novum Decretum inscia Imperatrice vulgatum de statu legitimo deturbandos.

Ego Imperatricis nomine in hunc articulum hac lege venio, ut sine ulla Jesu Societatis exceptione sic omnibus Albæ Russiæ Civibus pristina conditio sanciatur, ut, cum Imperatrix Russiarum pro pace illius Provinciæ suæ legibus cedat adversus Ruthænos Catholicos latis; sic Romanus Pontifex pro bono Catholicorum a Decreto novissimo suo, adversus Jesu Societatem edito, in Alba Russia decedat.

§. LIII.

§. LIII. *In articulo V. Fœderis Clemens XIV. derogabat Brevi suo in Jesu Socios Russis.*

IN hanc quidem sententiam Legatus Augustæ apertè locutus quid a Nuncio Romano volente illo quidem, sed nolente, quod ajunt, animo, obtinuerit, bonus ille quintus Articulus, tantum non emissa voce pro se clamat; in quo cunctis in universum Albæ Russiæ Civibus, ne miseris quidem Jesu Sociis exceptis pristini possessio status in posterum fide publica, & Romani Pontificis, & Augustissimae Imperatricis, & Polonici Regni recte atq: ordine in publicis tabulis Romæ, Petropoli, Varsaviæ probatis sancitur.

Equidem hoc loco non tecum, mi Bolane, quem Juris manifesti semper novi amicissimum, sed cum omnibus Fori etiam Romani & Consultis, & Operariis, & Moratoribus, & Calumniatoribus libens ac volens disputabo.

Age enim, quid contra Jus dicere ex hoc novo capite fœderis in Augusta Catharina, quod publice cognitum, ac comprobatum est quisquam possit? Nec enim opinor, futurum esse aliquem, qui ita ferream in perniciem Societatis Jesu frontem perfricuerit, ut sancitum eum Articulum quintum negare audeat,

quem Pontificius Nuncius in Commentario illo suo, de quo dicam postea, (*a*) in causa Archiepiscopi Polocensis Rutheni ad Regem Poloniæ dato, commemorabat; quem Catharina Imperatrix in litteris ad Archettium ipsum, in litteris ad Pium VI. pro se testem excitabat.

Quid porro eo jure semel recte atq. ordine comprobato, contra legitimum jus quo Jesu Societas, in quo fuisset in ea Provincia statu, in eodem hodiedum maneat afferri ab aliquo potest.

Optent hostes totius Societatis Jesu quod in re præsenti malint. Volunt ne contineri in eo Capite quinto concessum Imperatrici Jus, annuente palam Clemente XIV.? volunt contineri legitimam ejusdem auctoritatem restipulatione Pontificis probatam, ut cunctos utriusq. ritus Catholicos, nullis omnino, ac ne Jesuitis quidem semper Catholicis, ne dicam etiam ubique Papistis, exceptis, in pristina status conditione conservet?

Hoc & velle debebunt, si sine fuco & fallaciis more illo prisco Romano articulum illum legant; & ex eodem capite fateri illa duo cogentur: Alterum, Jus esse Imperatrici per-

(*a*) lib. IV. hujus Apologiæ.

fectum, atq. solutum, ut Abolitionis Decretum sine injuria, sine offensione Aulæ Romanæ in Alba Russia repudiet; quo non repudiato, cunctus jam ibi Catholicos in priore statu, ac conditione nequeat illa jure suo tueri: alterum, legitimam obligationem Clementi XIV. ex illa illius Articuli quinti restipulatione, ac ratihabitione accedere, ut ita in Alba Russia Decreto suo abroget, ut nequeat suprema auctoritate sua uti, qua juri agnito qua probato, qua a se concesso, fraudem, aut detrimentum afferat.

§. LIV. *Sacro Josuæ exemplo res tota illustrata.*

ET vero causam pressius hoc loco urgere ex Jure & Pontificio, & Civili possem, nisi mihi videretur apud te, quem novi religiossimum, fore opportunius rem hanc totam exemplo e sacris litteris (*a*) petito tantisper illustrare.

Josues Dux ille Hebræus astutis callidisq. precibus inductus una cum Principibus populi sui Viris, inito fœdere pollicitus est Gabaonitis, & eorum nonnullis Sociis Cananæis, quod

(*a*) *Joſ.* v. 15. 16. 17.

quod non occiderentur, interpoſita Jurisjurandi religione. Dolus malus Gabaonitarum paulo poſt apertus, fraus brevi palam convicta: reliquus Hæbreorum exercitus veniam eis factam iniquiore animo paſſus. Quid tum poſtea? Res eo deniq. tota rediit, ut cum omne vulguus murmuraret, Principes tamen responderent; *Juravimus* illis Gabaonitis, eorumq. Sociis *in nomine Domini Dei Iſrael*, & *idcirco non poſſumus eos contingere*.

Et vero, cum nondum Jusjurandum pro ludo, ac joco politico haberetur, ita valuit fides publica data ita vicit religio Sacramenti, nomine Dei firmata, ut, cum Cananæi omnes antea fuiſſent *a Deo proſcripti*, antea diris, atq. internicioni *divina* Voluntate devoti, tamen Gabaonitis ſit publica auctoritate temperatum, eo quod *juraſſent eis Principes in nomine Dei Iſrael*.

Reddam ne tibi paucis, mi Bolane, vim, ac ſimilitudinem totam exempli, id quod in Evangelio non raro factum in divinis illis apologiis apud Apoſtolos a Chriſto Servatore enarratis, legiſti; an commentationi, judicioq. tuo relinquo?

Hoc ſane faciam, ut ipſe per te primum in Imperatrice Catharina, quæ vel Edicto, a ſe anno uno ante Clementinum decretum vulgato,

gato, vel illo articulo quinto, annuente Romano Pontifice, adscripto, conditionem priſtinam in Catholicis Albæ Russiæ suæ sanciebat, jus tuendæ ibi Jesu Societatis agnoscas; deinde in Romano Pontifice, in Nuncio Pontificio, in Poloniæ Rege, qui manu sua subscriptum articulum quintum cum ratum esse voluissent, Catholicis Albæ Russiæ omnibus fidem tuendæ pristinæ conditionis in re sacra confirmabant, tibi Principes Hebræi populi, impunitatem Gabonitæ Genti juratos, affingas?

Nam quemadmodum illis Principibus Hebræis evertendæ totius Palestinæ fuerat divinitus data auctoritas, quæ in Gabaonitis, etiam dolo malo abusis, jurejurando interposito, vim suam repressit, ita Nuncio Pontificio, ita Poloniæ Regi, ita Episcopo Massalkio Vilnensi, Felici Tovianskio, Mallensi Vicario Apostolico, facultas data videbatur, ut in Alba Russia Jesu Socios de gradu pristino deturbarent, quæ tamen facultas fide publica Articuli quinti penitus enervata, inermisq. jaceret, ne Decretum exequi Clementinum illis liceret.

Præterea, si hoc etiam quæris, in tanta, tamq. late patenti turba eorum, qui Jesu Societati sese essent hostes professi, expressum vivis coloribus videas omne vulgus Hæbreorum, iniquo animo, inimico ore adversus Jo-

V suem

suem Ducem, adversus Principes humaniores populi, reclamans.

Unum illud tamen interfuisse tibi constet, quod Hebræum vulgus jure suo in ea causa Gabaoniana dolum malum eorum Cananæorum poterat damnare, & nimis bonam fidem ex incogitantia, ac properato judicio Hebræorum Principum profectam, notare. In causa vero Russiæ Jesu Societatis nulla in Imperatrice quidem temeritas, nulla præceps consilii facilitas, nulla doli, nulla fraudis, nulla callidioris fidei malitia intercesserat: quanquam in ipsis fortasse illis Albæ Russiæ Jesu Sociis, qui tam valde ab Augusta Catharina postulassent, ut sibi indici Breve Clementis pateretur, aliquid præcocis consilii, aliquid præmaturi obsequii, aliquid nimis anxiæ sollicitudinis non immerito reprehendas.

Postremo in Imperatrice facile quivis illud observet, quod illi Imperatori hebræi exercitus accidisse sacræ paginæ confirmant: & si enim Omnes Reges Amorheorum *adversus eum convenerant* (a) *eos persecutus est Josues. Dominus Deus Israel pugnavit pro eo.* Quid enim in ea Albæ Russiæ causa egit Augusta Catharina, cum per regii nominis speciem a proposito consilio de-

(a) Jos cap. 10.

deterrebatur? Illa sui Juris retinentiſſima Imperatrix sic reſcribebat ad Aulam NN. Mihi perſuasum habeo, quemadmodum ego nihil reclamavi, quominus perficerentur, quæ Majeſtas Tua contra iſtos Regulares a ditione sua decrevit, ita quoq. futurum, ut Majeſtas Tua nihil opponat iis, quæ ego in Imperio meo pro illis ſtatuo, ac decerno.

§. LV. *Vis Articuli V. Fœderis preſſius Aſtricta.*

SEd hæc, mi Bolane, obiter ex litteris ſacris animi & mei, & tui, opinor, cauſa dixerim. Redeo ad fori etiam Romani vel Conſultos, vel Operarios, quibus rurſus optionem facio, ut, utrum in re præsenti malint id & pro se & contra salutem Jeſu Societatis dicant. Si jus illud in Catharina Auguſta probent, quod hactenus ex illius Edicto, ex illo Articulo quinto fœderis luce clarius patebat, fateantur, oportet, eos in Alba Ruſſia Jeſu Socios priſtinam Religioſi Inſtituti poſſeſſionem retinuiſſe, cum Auguſta Catharina pro jure suo, pro permiſſa etiam a Clemente facultate illos eo eſſe, quo ante fuiſſent, juſſerit ſtatu, sine ulla illius Ordinis læsione.

Sin illi ab Aula Romana jurati in Jeſu So-

cietatem inimici contendant, eam Aulam semper pro Abolitionis Decreto in Alba Russia jure suo stetiſse; alterum e duobus fateri omnino eos ipsos oportebit, vel totum illum Articulum quintum, publica Romani Pontificis fide probatum, cassum, irritum, nullum esse habendum, quippe ex quo bina simul nascantur jura adversis frontibus pugnantia, contraquam rerum Natura ferat; (alterum in Imperatrice quidem, quæ vi ejus articuli possit Catholicos omnes utriusq. ritus in Alba Russia, nullis omnino exceptis, in pristino statu tueri, quem habebant 5. Sept. 1772. alterum in Romano item Pontifice, qui dicatur, jure potuisse illud Decretum, nolente Imperatrice, Jesu Sociis denunciare, articuli quinti fide minime impeditus;) vel certe, si in Glemente XIV. ab iis dicatur jus esse æquum in Jesu Socios, jus nihilo æquum minus esse in Catharina Augusta adversus illos Ruthenos catholicos ab iis esse dicendum: ut si Clemens queat exauctorare ibi Jesuitas; Catharina inde Ruthenos catholicos possit proscribere.

Vide jam qualem, quantamque vim ille quintus in se contineat Articulus, si vindices Romanæ Aulæ in eo legitimum fœdus, legitimum contractum, concordiamq. initam inter Russiarum Imperatricem, & Apostolicam Sedem fuisse confiteantur. Ille

Ille quidem Articulus ejusdem esse dicendus erit roboris, ejusdem auctoritatis, ejusdem publici momenti cujus & illa fœdera fuisse constat (Concordata vocant) ac Pacta, que conventa inter Nicolaum V. Pontificem Romanum & Fidericum II. Imperatorem Germanum anno 1448. fuerint & potissimum illud fœdus, sive Diploma nobile Leonis X. cum Rege Christianissimo Francisco I. in Concilio Lateranensi V. anno 1518. ictum.

§. LVI. *Fœdus exemplo aliorum pactorum Pontificiorum clarius expositum.*

VIn' tu mi Bolane, quo vis tota illius Articuli V. clarior appareat, nonnullas mecum Sententias illius Diplomatis breviter recensere? Voles opinor eas ab Natali Alexandro audire.

Ecce tibi Sententiam primam. (*a*) Nec non irritum, & inane quid secus super his, vel eorum aliquo, (articulo) a *quoquam quavis auctoritate etiam per Nos*, & Sucessores nostros *scienter, vel ignoranter* contigerit attentari decrevimus.

Audi jam simillimam Sententiam in illo Arti-

(*a*) Hiſt. Eccl. tom. 9. diſs. 11. art. 7. pag. 529.

ticulo V. Cessionis. Nec Majestas sua Imperialis „ nec ejus Successores utentur unquam suprema potestate, & auctoritate in detrimentum Status quo Catholicorum. "

Mitto cœtera ejus Articuli, quæ tam sunt pactis Leonis X., quam lac lacti, similia. Illud non possum, cum Aulæ Romanæ & scripta & facta in causa Albæ Russiæ lego, satis mirari, Curiales illos Viros Romani Fori peritissimos Operarios, usu Aulæ Romanæ subactos, & celeberrimam Leonis X. pactionem, & lippis, tonsoribusq: urbanis notissimam sanctionem, aut penitus nescisse, aut tantopere a se dissimulandam negligendamque existimasse.

Itane iis libuisse aut oculos luci sponte occludere, aut jus ad libidinem varium Romae adversus Augustam Imperatricem dicere?

Tu certe, mi Bolane, ex hac Leonis X. sanctione, maxime apud omnes rata, ad manum præsto habere potes, quid ad omnes epistolas, etiam nomine Pii VI. in ea Russiae Albae causa per Pallavicinium Cardinalem per Nuncium Pontificium, per Congregationem de Propaganda scriptas, respondeas: *Irritum & inane* esse eas omnes *attentatum*; Nam iis an scienter, an ignoranter, an fraudulenter, certe contra fidem publicam, certe per apertam Laesionem

Arti-

Articuli V., illarum Scriptores Jesuitas Albae Russiae in eo statu relinqui, in quo fuerant Nonis Sept. 1772., non patiebantur.

Quid dicam de ea libellorum famosorum Illiade in quibus eadem Crambre ad mortem recoquebatur, cum tot venalia praela suppressos Jesu Socios magna mercede inimicis eorum propinabant? una plaga licebit eos omnes conficere, atque eos iritos, inanes, mendacii, calumniae fumi fuliginis, nigerrimae loliginis dicere plenissimos.

Ecce tibi alteram ex eodem Leonis diplomate Sententiam plane peremptoriam. „ Quod si super his articulis contigerit attentari (pergit idem Leo X.) Rex Christianissimus (in re nostre Imperatrix) viis omnibus juridicis Concordatorum executionem promovere, urgere, & procurare possit, ac secundum juris communis, & sacrorum Canonum praescripta *Ecclesiarum* Imperii sui *necessitati* consulere, Sedis Apostolicae *reverentia*, *&* *auctoritate* in omnibus, & per omnia semper salvis.

Hic non ego doctos Aulae Romanae Ministros, nesus, quod ajunt, Minervam *vias omnes juridicas* doceam, non omnia *juris communis*, *& sacrorum Canonum* praescripta tam peritis juris communis, tam sacrorum Canonum consultis Viris, indicem. Tibi uni, mi bone

Bo-

Bolane, paucis ea omnia obiter significem.

Illa *prima* erat Juris praescripta, ac ratio, qua Imperatrix in ea Albæ Russiæ causa posset uti. Si reipsa Decretum Abolitionis repudiaret. Si Episcopis pro Imperio ediceret, ne idem illud Decretum Jesu Sociis indicerent. Si hujus Imperii sui Violatores exilio, aliave pœna puniret.

Illa erat *altera* via legitima, si litteris suis Imperatrix Ministros Pontificios, ut ab inferenda Jesu Sociis injuria desisterent in Alba Russia, moneret.

Illa erat ratio juris persequendi *tertia*, si, monitis a se frustra Pontificis Ministris, Augusta per litteras Pontificem Summum rogaret, ut Pontifex Ministros suos in ea injuria coerceret, ut ab iisdem pœnas meritas exigeret, & in posterum eas agendi artes in eisdem inhibendas curaret, quæ ad seditiones, quæ ad turbas, quæ ad discordiam excitandam inter Aulas & Imperiale, & Pontificiam pertinerent; ut vel alios Ministros ad quietem suorum Civium ei Causæ negotioq: præponeret, vel rem eam totam, quæ in eo Articulo quinto contineretur, Romanus Pontifex ad se unum, remotis iis Ministris, advocaret.

Illa erat *quarta* Juris communis ratio, quam Augusta jure suo adhiberet, si Delegato Apo-

stolico

stolico semel a Romano Pontifice creato in Alba Russia præciperet, ut quæ ad conservationem pristini Jesuitarum status plane essent necessaria, ea omnia exequeretur.

§. LVI. *Vi Fœderis licuit Catharinæ Imperatrici quidquid pro salute Jesu Societatis in Alba Russia suscepit.*

VIdes jam, opinor, quas ego tibi significo vias, eas in Diplomate Leonis X. Catharinæ Augustæ premonstratas fuisse. Atq. utinam omnes ii, qui nomen professi sunt suum in Adversariis illius Jesu Societatis, Leonis X. dicta in animo scripta suo retineant, ne paulo post iis mirum accidat id, quod ego in oratione mea evincam: Imperatricem ex præscripto Sacrorum Canonum *jure suo* necessitati Jesuitarum consuluisse; jure suo, cum Pium VI. in ea causa adiisset, præcepisse Mallensi Episcopo Delegato Apostolico, ut in Alba Russia *tirocinium* Jesu Societati aperiret; ut ejusdem consensu Jesu Socii sibi *Vicarium Generalem crearent*.

Nam qui Leonis X. diploma meminisse volet, & ab eo id juris in Imperatrice probatum, ut fidem Articuli quinti tueatur integram, videbit; neq. cum leget illas litteras,

quas illa pro jure suo tuendo postea scripsit; siquid libere, siquid acriter, siquid elate, siquid imperiose dictum animadvertet, in eo Augustam violati officii, læsi honoris, despectæ alienæ auctoritatis accusandam arbitrabitur.

Ecce tibi ex Leonis X. fœdere tertiam Sententiam, quæ Russiacæ Ditionis Imperatricem & erudiat, & instruat, & armet ad eam, qua usa est legitima, defensionem pro Societatis Jesu pristino statu retinendo,

„Nos ea quæ tanta maturitate, consilio, & Sacri tunc vigentis Lateranensis Concilii approbatione discussa, statuta, ordinata, facta, & concessa sunt, ut inviolabiliter, & inconcusse, prout pax est, observentur, pro nostri Pastoralis Officii debito providere volentes .... motu proprio ex nostra certa Scientia (a) ac de *Apostolicæ Potestatis plenitudine* (*his verbis loquitur ut Pontifex*).

Cum deceat Sæcularem Potestatem, præsertim magnam, Ecclesiasticam juvare Potestatem in his præsertim, quæ animarum salutem concernunt; Majestatem Tuam, & pro tempore existentem Francorum Regem, litterarum prædictarum, ac per eas editam Con-

stitu-

(a) His verbis fit lex Pontificia Bened. XIV, de Syn. Diœc. l. 8. cap. 5. 9.

stitutionem, & omnium, & singulorum in eis contentorum, legitimos Protectores, Defensores, & Conservatores .... nec non quorumvis adversus illas, & in eis contenta venire tentantium, cujuscumq. dignitatis, status gradus, ordinis, vel nobilitatis existentium, ac quacumq. mundana Dignitate fulgentium invictissimos Oppugnatores auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & deputamus. "

§. LVII. *Vis tota Fœderis silentio obruta in scriptis, ab Aula Romana contra Jesu Socios emissis.*

NIhil jam opus est, opinor, plura pro Augusta Catharina addere, ex quibus justissima illius agendi, obsistendi, providendi, consulendi ratio, ac sapientia plane singularis, ac probe divina in illa Russiæ Albæ causa palam omnibus appareat.

Quæ cum ita sint, quis non jam vehementer miretur, cum videat in tot litteris, tot libellis, tot scriptis, quæ opera vel Aulæ Romanæ, vel factonis Anti-Jesuiticæ in vulgus exierint, ne verbum quidem unum de Imperatricis edicto Nonis Sept. Anni 1772. probato; de articulo II. cessionis Albæ Rus-

siæ, de articulo V. in pactis publicis convento, ex quibus jus illi esset certissimum & Jesu Societatis in Alba Russia tuendæ, & Tyrocinii ad ejus perpetuam salutem instituendi, & Vicarii Generalis ad moderationem religiosam creandi, reperiri?

Cur quæso Pallavicinus, Secretarius Purpuratus, in epistola illa ad omnes Pontificios Nuncios (a) Encyclica, in litteris itidem ad Nuncium Archettium, ad Mallensem Episcopum ad Comitem Stakelbergium Moschuanum Varsaviæ Legatum, ad Aulam ipsam Petropolitanam ea omnia Jura, monumenta, scripta alto silentio pressit?

Cur alii cupidi, venalesq. Scriptores in tam multis, tamq. famosis libellis opera inimicæ ejusdem coitionis, quæ odio, malitia, dolo, fraude, calumnia in Jesu Socios cum jam alibi exauctoratos tum etiamnum in Alba Russia superstites arderet, in omnes orbis partes diffusis, nihil de illis Imperatricis Augustæ juribus indicatur?

Quamquam stultus ego iis fortasse videar; cum malitiosam agendi rationem in iis & scriptis & Scriptoribus mirandam alicui dico; qui sane Scriptores, si illa semel Imperatricis monu-

---

(a) Lib. 4. hujus Apologiæ.

monumenta modo meminissent; aperte, ut erant in jure Pontificio versatissimi; planeq. viderent, ex formula ecclesiasticorum pactorum Concordatorum, ex deplomate Leonis X. ex Canonicis legibus, ex Ecclesiæ prescriptis, duo ex scriptis suis futura Sole clariora: alterum, potuisse Imperatricem legitime in priore conditione tueri suos Jesu Socios; potuisse ab eis ferale Clementis Decretum arcere, potuisse eorum & præsenti saluti, & futuræ incolumitati providere, alterum omnes ab Aula Romana profectas litteras, quibus status pristinus in Alba Russia religiosus illius Societatis oppugnaretur, irritas, temerarias, cassas, nullas, seditiosas communi Catholicorum Judicio fore existimandas.

§. LVIII. *Vis Fœderis ab Aula Romana agnita in scriptis pro Ruthenorum Catholicorum jure editis.*

VErum, quod erat ad revincendam calumniam, e silentii malitia petitam maximè opportunum, id ab causa tota minime illa æquissima Numinis providentissimi ratio passa est diutius abesse, ac desiderari. Ille enim, & Justitiæ & Veritatis Vindex, Deus, tantisper quidem solitus quasi connivere in

permit-

permittenda injuriae, malitiae, doli machinatione, vix unquam vero veritatis splendcrem obscurari penitus passus, non ita multo post rem eo deduci curavit, ut vel Nuncius ipse ille Aulæ Romanæ Nuncius, ipsius-met Aulæ suæ verbis, simul illa ipsa jura in Imperatrice Augusta agnosceret, ex publica illa fœderis sanctione profecta, simul illa ipsa palam professus, ea de causa cum Augusta Catharina per Poloniæ Regem eorum, Jurium vel Patronum, vel fidejussorem, amice expostularet, quod parum ab ea servari in Alba Russia viderentur.

Ita enim accidit, ut cum in ea Provincia pristina conditio, priorve Ruthenæ Ecclesiae Catholicae status nonnihil vel negligi ab Augusta, vel solicitari, ac labefactari diceretur; Regi Poloniae sit Nuncio Apostolico datus sive libellus, sive Commentarius suplex, per quem Vindicis officium in tuendo illo Articulo quinto ab eo exigebatur, qui ad incolumitatem Ruthenorum in Alba Russia pertineret.

Habes hujusmodi Commentarium, mi Bolane, sub finem hujus Opusculi ex quo non pauca in Nuncio Pontificio notanda judices. Unum illud tamen, quod, tandem palam ex ore Aulae Ro-

(a) Adnot. VIII. pag. 283.

Romanae vi veritatis ipsius expressum, summopere probes, nihil jure esse in Alba Russia novandum, nihil antiquam ibi Catholicorum omnium conditionem solicitandam, nihil de statu, quem antea Catholici Cives habuissent, esse ex fide rata, ex fœdere publico, ex bono illo articulo quinto ab iis mutandum qui manu sua, qui publico sigillo pacta conventa subscripsissent: ut tandem aliquando & Romanus Pontifex, & Romani Pontificis Nuncius, & tota Curia Romana palam fuerit professa, Jesu Socios in Alba Russia eo in statu & nunc esse, & fuisse antea, & in posterum esse oportere; in quo ante Clementis Decretum de Jesu Societate abolenda fuissent.

Vide jam quo ego oratione mea descendam. Si Nuncius volens, ac lubens tanto eos in Alba Russia Jesu Socios beneficio affecisset, ac non munus hoc totum unius Catharinae Augustae consilio plane divino fuisset in acceptis ferendum; profecto omnia illa peccata, omnia illa vaferrima consulta & plurima, & maximè flagitiosa, quae in Optimae Imperatricis Majestatem essent in supplici illo commissa Commentario, facile Nuncio Pontificio condonarem. At nunc quis aut aequo animo ferre, aut silentio possit praeterire illius Nuncii insolentiam.

Ita-

Itane vero? Cum tota Aula Romana prior Articuli quinti fidem publicam violarit, Pontificius Nuncius audeat nomine Aulae Romanae eam fraudem, eam juris laesionem, eam publicam publici fœderis injuriam Imperatrici objicere?

Quid enim Imperatrix in Articulum illum quintum admiserat? Nihil sane. Nam Catolicos Ruthenos in pristina Romanae Communionis fide tum relinquebat, cum pro jure Patronatus ipsa vi Articuli Secundi Cessionis Albae Russiae nominare novum Ruthenis suis Antistitem volebat; nominatum ab alio, cujus non esset jus Successoris optandi, sibi obtrudi nolebat.

Quid Nuncius tanquam Creditor non debitam solutionem exigebat? tanquam laesus ea injuria, quam inferebat, ab Imperatrice satisfactionem postulabat?

§. LIX. *Imperatrix nihil in Ruthenos Catholicos cum commisisset, injuria a Pallavicinio notabatur, qui in Jesu Socios Fœdus violabat.*

AT enim Augusta designationem novi Archiepiscopi in Polocia Rutheni, cum ea Ecclesiae Sedes, promoto ejus antiquo Praesule

sule ad aliam Sedem, vacaret, protrahebat. Credo: Augusta in ea mora exemplum Curiæ Romanæ sequi non dedignabatur. Utrum enim Nuncius invitus, an volens obliviscebatur, quam lente, quam fastidiose quam morose, quam longo intervallo temporis nihil Aula Romana satisfacere postulatis æquissimis Augustæ curavisset, quæ sibi a Romano Pontifice dari pro Archiepiscopo Mohilaviæ Mallensem Episcopum a se ipsa designatum de more postulasset? Quæ Coadjutorem in Archiepiscopatu Joannem Benislavvskium eodem tempore Romæ probari petivisset?

An Augusta non optimo jure posset in longum ducere Successorem a Jasone contra Jura Patronatus sui, quem in Alba Russia nuper proprium esset adepta, sibi suffectum?

Nonne Aula Romana, violata Articuli quinti fide, Mallensem Mohiloviæ confirmare nolebat Archiepiscopum, nisi prius & Pastorales litteras revocassent, per quas ipse Delegatus Apostolicus jubente quidem Augusta illi Jesu Societati tirocinium ad ejus incolumitatem plane necessarium aperuisset.

Nonne litteras illis contrarias turpi Palinodia Mallensem vulgare Curia Romana cogebat, acerrime præterea minata, nisi in eo sese morigerum præbuisset, fore, ut munere

Delegati Apostolici a Romano Pontifice mulctaretur.

Quid aliud erat jus publicum Articuli quinti violare, si hoc non erat? Quid aliud erat ab Imperatrice eam fidem ex illo articulo exigere, quam Aula Romana a se postulatam, in eodem Articulo confirmatam palam vellet, atq. impune violare? Pactus erat communi, ac publica fide integer, salvus, incolumis Catholicis *omnibus* in Alba Russia pristinus status. Ut Ruthenis Catholicis ea conditio integra servetur, efflagitat Aula Pontificia; cum Augusta nihil in Ruthenos Catholicos novi moliretur. Jesu vero Sociis, quod status pristinus ab Augusta præstaretur, quod ab eadem novus Archiepiscopus pro salute Ecclesiæ latinæ per Imperium dispersæ postularetur, illa ipsa Aula, in idem illud caput rite jurata, Augustam accusabat; Augustam diutissime frustrabatur; Delegato Apostolico Mallensi, quod saluti Catholicorum consuluisset, quod jussu Augustæ Jesu Sociis eundem statum servandum in posterum curasset, malum, ignominiam, abdicationem minabatur.

Non opus mihi esse video in re omnium sermone trita, Epistolas ipsas integras in ea causa adversus Commentarium Nuncii, ab Imperatrice sapientissime scriptas, nunc in me-

dium

dium proferre. Proferam sane alio loco, (*a*) ut quis non possit non optimam in Augusta, non sublestam in Nuncio fidem oculis ipsis videre.

Nunc satis mihi erit, si illarum summam epistolarum una hac Sententia comprehendero: *In Pactis conventis si quis palam fregerit fidem, fides, ajunt, frangenda est eidem.*

Canonico item est cautum jure: (*b*) *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam idem servare recuset.*

§. LX. *Nuncius maxime in Imperatricem injurius, in Jesu Socios iniquus.*

Equidem video defensione, non dicam mea, sed plane nullius, Augustam in ea Nuncii iniquissima querimonia eguisse, cum reus ipse violatæ fidei Nuncius retinentissimam obligatæ fidei Imperatricem argueret.

Illud potius ab ipso Nuncio quæsierim, qua demum fronte, quo ore, qua tandem verborum stropha, quo involucro, quo Romani fori artificio a se objurgationem lesæ Imperatricis deprecaretur. (*c*) Scilicet bonus ille Nun-

(*a*) Ubi de Tyrocinio sermo erit.
(*b*) Reg. Juris in (*c*) Libr. IV. hujus Apol.

Nuncius, in intima Aulæ Romanæ mysteria non admissos, nesciebat, quam sæpe, quam astutè adversus Imperatricis jura illa sese antea gessisset. Quasi vero Encyclicas litteras Aulæ Romanæ ad omnes Nuncios Nuncius ipse Varsaviensis non accepisset, non sæpe legisset: aut quasi suas ipse Epistolas, ad Mallensem datas, Nuncius jam esset oblitus, quibus litteris tam valde; tam acriter, tam crebro & abolitionem Jesuitarum, & eorum suppressionem in Alba Russia exegisset, ut Mallensem ipsum in necessitatem abidicandæ ejus a se amplissimæ Diœceseos compellere visus esset: aut quasi Jesu Societatis, quæ ante Articulum quintum in Alba Russia salva, & incolumis fuisset, si post articulum ipsum opera, & fraude Nuncii perdita dissolveretur, non fuisset prior in illa Provincia status mutandus; status, inquam, ille, quo antea fruebatur, cum Alba Russia 5. Sept. 1772. ad Majestatis Imperialis ditionem transiit.

Atq. Nuncius ille Varsaviensis, qui a Ministris Pontificiis dibaphum operæ suæ mercedem certam, ab Augusta nihil sibi speraret eo tempore emolumenti (a qua postea tamen Purpuræ munus obtinuit) susdeq. opinor, habuerat, quid pro se Aulæ Petropolitanæ responderet.

Ve-

Verum si Nuncius in gratiam Imperatricis redire voluisset, quid judicio tuo, mi Bolane, respondere demum potuisset? Te enim consulo, cum ipse, quid pro Nuncio afferri possit, plane videam nihil.

Agebatur ab Nuncio contra illam Jesu Societatem, quam non modo mutatam, sed plane ille volebat eversam.

Nihilne Nuncius audierat ille Romanus de Edicto Imperatricis, Nonis ipsis Sept. 1772. vulgato, pro servando statu Catholicorum in Alba Russia? At ipse eam ipsam conservationem pristini Juris ex illo edicto pro Ruthenis Catholicis acriter postulabat.

Nihilne jam Nuncius meminerat Articuli in fœdere quinti, quod fœdus ictum publice fuisset die 18. Sept. ejusdem illius anni 1773. tertio post Mense ab illo Decreto Pontificio de abolenda Jesu Societate? At ille ipse quintus articulus erat Nuncio veluti Arx, unde adversus Imperatricem pro Catholicis Ruthenis in Alba Russia tela sua conjiceret.

Quid? Jesu Socii vel in Edicto Imperatricis, vel Articulo quinto fœderis erantne nominatim excepti? Erantne ab conditione Catholicis illis sancita singulariter exclusi? Imo vero summo Catharinæ Augustæ studio, cum manibus, pedibusq: Romanæ Curiæ Mini-

stri

stri primo obnixe repugnassent, deinde manus victi dedissent, eodem in statu constare, eadem in conditione manere, eodem in posterum esse, quo ante fuissent jure in commune illi Russiaci Jesu Socii fuerant jussi.

An vero Nuncio videbatur, decretum Abolitionis semel Romæ editum, semel a Principibus aliis acceptum, semel in aliis ditionibus in effectum perductum, sine Imperatricis assensu, sine indictione solemni, legitima, juridica sine ulla mora, quasi velocissimo quodam Vaticani fulminis ictu, continuo, statim reipsa illos Jesu Socios in Imperatricis fide, ditione, tutela, præsidio positos afflare, ferire, incendere; in cineres, ac fumum redigere, invitissima Catharina Augusta potuisse?

Non opinor, tam deditus erat Nuncius hostibus Societatis, ut ad illorum arbitrium tam novam doctrinam probaret, tam veteris legum disciplinæ oblivisceretur.

Quid ergo? Si potentiam, si odium, si minas si bellum internecinum ab imperiosa quadam politicorum hominum factione toti Jesu Societati palam indictum, si malitiosam aliam coitionem partim Sectariorum, partim Invidorum, in Romanam quidem Ecclesiam latenter conjuratorum, conflatam excipias, nihil fuisse profecto, mi Bolane, intelliges,

quamo-

quamobrem Aula Romana pius *Ruthenis* in Alba Russia Catholicis, quam *latini* nominis Jesu Sociis in eadem causa, in eodem jure pristi status tuendi faveret.

Nihil videbis, ne ab ipso quidem Nuncio, ad speciem saltem æquitatis potuisse legitimæ defensionis excogitari, ut eodem tempore altera manu pro Ruthenis Catholicis tuendis, altera pro Jesu Sociis evertendis in Alba Russia pugnaret, quorum vel utrisque ex articulo illo quinto, vel neutris præstanda esset eadem pristini status conditio.

Verum quod dicere institueram, in illo Archettii Commentario aeterni Numinis consilium hujusmodi apparuit, quo bonorum salutem ex intentata eisdem pernicie, patrocinium ex media calumniae injuria procurare Deus sæpissime consuevit; ut, cum fraudulenter Curiae Romanae Ministri quidam eripere Jesu Sociis Russiae Albæ jus pristinae conditionis machinarentur, eadem opera palam omnibus testarentur, aeque illo, & Ruthenos Catholicos in Alba Russia in eo statu esse oportere, quo ante Decretum Clementinum fuissent.

Quae cum ita esse omnia, vel ipsa confessione Archettii constet, quis erit tam iniquus rerum estimator, ut ex commemoratione & Jurium, & factorum Catharinæ II. non illa

duo

duo palam fateatur? Alterum; illi Imperatrici jus plenum, ac perfectum Decreti Clementini repudiandi; jus ejusdem & indictionis & executionis in Imperio suo prohibendæ, jus audaciæ eorum, si qui secus in ea causa agere molirentur, irrogata pœna reprimendæ.

Alterum; omnes litteras Aulæ Romanæ, etiam Pontificis nomine datas, omnes Archettii epistolas, etiam jussu, etiam auctoritate, etiam nomine Romanæ ejusdem Aulæ in ea causa vel scienter, vel ignoranter, vel bona, vel mala fide scriptas, quibus promissum fœdus articuli quinti, quibus pristina illius Jesu Societatis conditio violaretur, nullas, irritas, vanas, futiles, nihili, projecta alga viliores fuisse.

Equidem me tibi, Bolane æquissime causam illius Jesu Societatis sic probasse confido, ut mihi plane persuadeat suspectos nunquam tibi eos futuros esse Viros religiosissimos, etiamsi audias illos seditiosos, illos refractarios, illos ab omni obsequio Pontificio alienos ab iis prædicati, quos per duo jam Sæcula splendor Jesu Societatis invidiæ stimuli vehementissime ussisset.

§. LXI. *Gratiſsimus erga Imperatricem omnium Jesu Sociorum etiam exauctoratorum Animus indicatus .*

UTinam hac eadem opera mea tibi uni, Augustissima Russiarum Imperatrix (ad te enim supplex extrema Oratione confugio, ut veniam liberiori Orationi de te meæ facias) omnium eorum nomine, qui Jesu Societati nomen dedissent, ita me gratum, memoremq: præstitissem, ut judicio tuo pro Te causam optime defendissem. Et si tua quidem Majestas, quæ in Te unam omnem omnium Sæculorum, omnium Principum ante actæ memoriæ maximam amplitudinem, divinamque gloriam vel Palladis armis, vel minervæ artibus, cumulatam, infinitis partibus superasse, totius Europæ assiduo præconio, diceris, nec meo, nec cujusquam Scriptoris patrocinio esset in hac tuæ Jesu Societatis causa protegenda; tamen ab ista Animi tui cum erga alios Cives Tuos, tum potissimum erga Jesu Socios plusquam materna quadam indulgentia hanc veniam mihi pollicebar, ut si minus defensionem Jurium tuorum, quæ Tu non minore vi Orationis, quam armorum victoria tueris, a me susceptam probares, at meam erga Te fidem, meam erga Te pietatem non ingratam tibi fore sperarem.

Divi, Diveq: omnes, quos tuis adhuc virtutibus, meritisque erga Genus humanum amplissimis, illud dedisse videmus, ut in hac communi quadam populorum, gentium, regnorum que calamitate ex perturbatione legum, ex impietate Philosophorum profecta, Tu una felix, Tu una foris ubiq: victrix; utinam ita rebus afflictis in posterum consulant, ut in omnem temporum posteritatem Tua Jesu Societas ex isto Imperio Tuo per omne Terrarum Orbem auspiciis propagata Tuis, Tuo Numini, Majestatiq: devota, unam Te Catharinam II. amore, scriptis, assidua prædicatione a Solis ortu ad hesperium usq. cubile, ab altero isto Tuo ad alterum Orbis verticem, Dominam, Patronam; Parentem hinc usq. ad sidera Cœli notam, concelebret. Dixi.

Finis partis Tertiæ.

ADNOTATIONES.

QUÆDAM ET ANIMADVERSIONES

ADNOT. I.

ROmae cum Magiſter Tabellariorum Gallicanorum Clementem XIV. moneret, id moris eſse legitimi, ut omnia decreta Pontificia ad unum Regem dirigerentur, qui ſingulis Galiae Epiſcopis ſingula deinde mittenda curaret; Clemens juſſit cum non ad Regem unum, ſed ad ſingulos Epiſcopos Eccleſiae Gallicanae decreti ſui exempla dirigere; illud cauſatus, quae fierent in ea re, omnia de ſententia fieri Aulae Gallicanæ (*a*) Ergo cum res ex arbitrio Clementis facta esset, Rex eamjuris ſui violationem Pontificiam iniquiſſimo animo paſsus, per Oratorem ſuum acerbius apud Clementem tantam ſibi factam injuriam conquerebatur.

Clemens vero, cum neque factam negare, neque ignorationem legitimae conſuetudinis praetendere posset, eo demum confugit, ut in Miniſtros Aulae ſuae culpam omnem conferret. Qua excuſatione neque Ludovico ſaciebat ſatis, neque a ſe Clemens moleſtiam depellebat, cum videret decretum ſuum non modo a Rege conſtantius repudiari, ſed Regem ipſum, (quippe qui non ex animo ipse ſuo, ſed rogatus, alieni honoris gratia abolitionem poſtulaſset) ſerio de revocanda in priſtinum ſtatum Jesu Societate in Galliis cogitare, qnam non legitima auctoritate extinctam, sed a poteſtate profana male in Gallia diceret fuisse diſſipatam, atque diſperſam.

Quamquam altera etiam cauſa Ludovicum ad eam voluntatem hortabatur. Nam (*b*) delatum erat ad Regem in illo Brevi Clementino (§. *poſt tot*) ita esse Scriptum. Reges *Francorum* Hiſpaniarum, Luſitaniae, utriuſque Siciliae ex Regnis ditionibus, atque Provinicis Socios dimittere coacti omnino fuerint, atque expellere. Quod cum audisset, tam vano com-

(a) *Ex tom. 2. epiſt. 19. Angli ad Caraccioli.*
(a) *Ex epiſt. 16. tom. 2. Angli ad Caraccioli.*

commento non mediocriter commotus *Itane vero*, inquit, *ubi iſtorum verborum fides*? Atqui Ego *Jeſu Socios meos a Magiſtratibus penitus expulſos a finibus Regni, ad quos pervenerant, ne in alias regiones abirent revocavi* (*a*). Quo factum eſt, ut Ludovicus jure merito nollet illud Clementis decretum obreptionis, dolique mali manifeſta nota inſignitum, in tabulas publicas exſcribi. Nam ſi ex Juriſperitorum duce Baldo, ſcita ſententia Mendacium occidit Principis Privilegium, quanto magis occidere litteras Pontificias tam aperta, tam convicta in Regem vel calumnia, vel certe vanitas dicenda erit ſi Juris Pontificii Interpetres audiamus?

ADNOT. II.

DE exilio Jeſu Sociorum ab Imperio Hiſpanico dicere incipienti, cur mihi non licebit illud Poetae uſurpare.

Longa eſt injuria, longae

Ambages, ſed ſumma ſequar veſtigia rerum.

IGnaro enim Clemente XIII. aut certe repugnante, & invito, arcanis artibus Aulae Matricenſis, indicta plane cauſa ac ne inſtituta quidem palam quaeſtione, Hiſpani Jeſu Socii OMNINO INAVDITI edicto Regio (*b*) poſtridie Kalendis Apriles 1767. Matriti publicato, non ſine maximo lictorum apparatu, tubarum clamore, aeris campani Strepitu, exilio perpetuo multati, vi, manuque armata in Naves fuere paolo poſt conjecti, quae curſu Centumcellas petere juberentur.

Qui illorum primi Tarracone profecti Italiam tenuiseent, ubi in portu jactis anchoris pridie idus Majas e navibus exscendere centum cellas conabantur, illico juſsu Clementis XIII. terra prohibiti, nova exilia, novas terras, adire ſunt coacti. Quod itidem aliis Hiſpanis Jeſu Sociis, ut quaeque eorum Navis a remotiore Hiſpaniae portu ſoluta, centum cellas deinceps, appellaret, eodem Clemente Pontifice receptaculum iis in ditione ſua interdicente, eveniebat. Quo

(a) *Ibid. Epiſt*. 16. *Oh! reprit le Prince: Il fait ici une terrible ecole! au lieu de les casses, je les ai rappellès*

(*b*) *Ex hiſtoria Anni* 1767. *Typis Pitterianis pag*. 104.

Quo id animi dolore Religioſi exules, qua indignatione navium Praefecti, quo Hiſpanus Romae Orator Thomas de *Azpuro* ſpiritu, eam a Pontifice repulsam tulerint, nihil attinet ad inſtitutam orationem commemorare Regii certe Miniſtri, qui praeter Caroli bonam fidem *jus Naturæ* in arcana antea quaeſtione, in ſententia ſine causae dictione laeſissent; *jus gentium* violasse in eo deinde viſi sunt omnibus Europae nationibus, cum exules ſuos fere ſex mille in alienam ditionem inſcio, atque adeo invito Principe, compulissent, maxime cum per litteras a Ludovico XV. agerent, ut in Corſicae praeſidiis maritimis Hiſpanos Jesu Socios recipere vellet, quos nonnullos menſes, in navibus circum Corſicae littora vectos in littora tandem ejectos voluere, quod Baeticis potiſſimum, inhumanitate Navarchorum accidebat. Sed in malis tandiuturnis exulum Hispanorum, illud non incommode cadebat, quod oranda venia a Gallo, sese ipſi Hispani Miniſtri violati juris Pontificii arguebant, cum non petita facultate Jesu Socios in ditionem Pontificis Romani exilii cauſa trajiciebant.

ADNOT. III.

QUod ne tu totum a me fingi suspiceris, fac, quaeso, paucis auscultes id, quod Bononiae his superioribus annis accidit. Diem ibi supremum Episcopus quidam ex iis, quos Roma Eccleſiis in partibus praeficere ſoleat, & integritate vitae, & judicii acrimonia clarus, obierat. Hujus cum Bibliothecam Haeredes proscripſissent, tabulam librorum ad se quidam Patrum Purpuratorum, notus animi in Jesu Societatem hoſtil i, afferri praecepit. Erat ibi Sylloga Operum Janſenianorum, una cum Sylloga illorum librorum, quibus in Gallia Jesu Socii Janſenianas calumnias refutassent. Haeredes utramque ſimul collectionem velle vendere. Cardinalis alteram Janſenianam solam velle ſibi comparare. Quid verbis opus eſt? Ego inquit Accusatores Jesu Societatis legere volo: Patronos illius innocentiæ omnino videre aut audire nolo, Oh elegantem Veritatis Amatorem.

ADNOT. IV.

MAntuae Carpetanorum in jus vocatus per ea tempora fuerat Socius Jesu & Jacobus Torreſius hodiedum superſtes,

cujus absentis opera fingebatur tumultus in America, neſcio quo in oppido, suscitatus. Is multis teſtibus religioſis viris se planum facturum dicebat quo die, qua diei hora diceretur de tumultu clanculum egiſse, una cum Procuratoribus ordinum Religiosorum consultationi affuisse de re communi apud Regios Magiſtratus. Ecce tibi cur nemo Sociorum a Regiis Miniſtris in Hispania deinde fuerit in jus vocatus, ne occultæ calumniae dolus luce clarior ex oratione Jesu Sociorum, ſemel ad jus dicendum vocatorum, omnibus fieret.

ADNOT. V.

ROma in causa Seminarii Romani, quæ certe malitiose, & inſtituta, & nefarie fuerat ab iis inimicis exulcerata, qui undique præjudicia in Jesu Societatem ad ejus abolitionem maturandam fieri moliebantur). Cum Julius Sperandinius Cleri Roma Procurator die 27. Septembris 1771. palam proteſtaretur, Clerum Romanum nolle actionem, litemque in Ludovicum Casalium e Societate Jesu illius Seminarii Rectorem intendere de redditibus ejusdem Seminarii Romani male adminiſtratis, sed eam actionem, ac litem velle adversus ipsam Jesu Societatem, ejusdemque Præpoſitum Generalem Laurentium Riccium conſtituere, secundum rationes supputatas a rationatore Petro Smuraglia &c. Cum, inquam, ita egisset bonus ille Procurator, totus ab inimicis & ſactus, & inſtitutus. Trium Viri illi Viſitatores Emi Yorchius, Columna, Mareſoschius totum poſtulatum in jure inauditum, absurdum, ubique inuſitatum, rejiciendum censuerunt.

Neque non idem juris ſequebatur Fidericus Boruſſiæ Rex in ſimili causa ad se delata: " Circa res dilecti Principis Schœnachii Carolathii, & reliquorum hæredum, qui nominatim in litteris procuratoriis exprimuntur ex una parte, contra *universam* Societatem, & ſingillatim contra Jesuitas in Sileſia exiſtentes in jus vocatos ex altera: Nos Fidericus D. G. Borussiæ Rex, Magdeburgi Margravius &c. juxta alias acta.

Quoad solutionem subſidiariam, quam Jesuitæ tenentur solvere correlative ad fructus ab hoc Collegio (Glottavienſi) injuſte perceptos ex resumptis bonis Majoratus, agnoscimus ut juris eſt &c.

Ad punctum præcipuum quod attinet *Præpoſitus* Generalis Socie-

Societatis, licet in ejus vocatus, ſe hic ſiſtere nomine univerſæ Societatis non *tenetur*. Collegia item Jeſuitarum, eorumque *Vice Provincialis* abſolvendi ſunt *omnimode*, & *ubique* a ſolutione ſubſidiaria, ab Actoribus intenta. Tandem Actores expenſas litis Jeſuitis pro acceptis habere. Datum in Sileſia 29. Decembris 1771.

Franciſcus Gondola linguæ Profeſſor; & Sacræ Rotæ interpres
Ita eſt Notarius Pulci. A. c.

In Summario Romana Redditionis rationis Seminarii Romani pro Rmo P. Procuratore Generali Dominico Franchini pag. 60. num. 40.

ADNOT. VI.

STatus Collegiorum, Domorum Societatis, ac Numerus Jeſu Sociorum in Alba Russia, desumptus ex Catalogo Provinciæ Lithuanæ Anno 1762., & Maſoviæ Anno.

EX CATALOGO PROVINCIÆ LITHUANÆ.

I. COllegium Duneburgenſe in Diœceſi Livoniæ alit Patres decem: Magiſtros tres: Adjutores ſeptem. Habet Miſſiones quatuor: I. Barchianam, & Miſſionarios quatuor. Secundo Hulzenianam, & totidem Miſſionarios. Tertio Platerianam, & Miſſionarios duos. & Quarto Gzadurcianam, & Miſſionarios duos: Duodeni igitur ſunt Miſſionarii.

Hoc Collegium alit Sacerdotes 22. Magiſtros tres Adjutores ſeptem Univerſi 32.

EX CATALOGO PROVINCIÆ MASOVIÆ.

Reſidentia Mohilovienſis in Diœceſi Vilnenſi.

Continet Sacerdotes decem; Magiſtros tres; Coadjutores quinque Univerſi ſexdecim

Reſidentia Miciſlavienſis in Diœceſi Vilnenſi

Habet Sacerdotes quinque, Magiſtros tres, Adjutores novem

Miſſiones duas: Lezovianam quæ alit Sacerdotes tres, & Fratrem Procuratorem unum; & Miſſionem Reſnenſem, & duos Sacerdotes.

MI-

MISSIONARII SEX.

UNIVERSI VIGINTI TRES.

II. COllegium Orsense in Diœceſi Vilnenſi.

Habet Sacerdotes ſeptem, Magiſtros tres, Scholaſticos logicæ octo, Adjutores ſeptem.

Et Miſſionem Foszcovienſem Miſſionarios duos.

UNIVERSI 27.

III. COllegium Polocense, & Domus primæ, & ſecundæ Probationis in Diœceſi Vilnenſi.

Patres alit undeviginti, Magiſtros duos, Adjutores duodeviginti.

Alebat Novitios, Scholaſticos 45. Adjutores 10.

Habet duo Seminaria Nobilium, & Civium

& Miſſionem Sokolnikovienſem in Diœceſi Smolocenſi & Miſſionarios tres.

UNIVERSI 94.

IV. COllegium Vitesbicense in Diœceſi Vilnenſi.

Alit Sacerdotes ſeptem, Magiſtros quatuor, Adjutores octo:

Univerſi undeviginti

INDEX COLLEGIORUM ET DOMORUM.

Collegia IV.		Sacerdotes	72.
Reſidentiæ II.		Magiſtri	18.
Domus Probationis I.		Scholaſtici Logici	8.
Convictus II.		Novitii Scholaſtici	40.
Numerus Nobilium 25.		Novitii Adjutores	10.
Miſſiones VIII.		Fratres Adjutores	65.
Num. Miſſionariorum 20.		Univerſi	208.

ADNOT.

ADNOT. VII.

PORro apud Chriſtianos Sarmatas, ſive, ut nunc loquimur, Polonos illud certum eſt. Si in comitiis majoribus Regni totius hujusmodi decreta Pontificum communi consensu rata non habeantur, pro antiquatis haberi, atque adeo irritum Clementis decretum fuisse futurum ſine voluntaria Regni acceptione. Quod non ita pridem teſtimonio Regis Stanislai Poniatovuski palam eſt omnibus factum, cum ille adversabatur sententiæ, quam de reducenda Jesu Societate, cujus utilitatem carendo magis, quam fruendo senſisset; in comitiis anni proxime Superioris 1791. egregius ille Senator Lipschius dixisset.

Hoc quidem loco non tam ut poſteritatis memoriæ serviam, quam ut Societatis Adversarios de errore deducam, eſt mihi ſtatutum, regiam illius sententiam exscribre.

ORATIO HABITA AB IPSO REGE.

EGo, inquit, is semper fui erga Jesu Societatem, ut nemini concederem, qui & pluris illam incolumem faceret, & ægrius occidentem doluerit. Atque, utinam Menſe Septembri in Comitiis Anni 1673. Sententia mea de antiquando illo Decreto, quo illi pernicies parabatur, rite vicisset! Tunc cum facile licuit eam ſervare, mihi eſt a pluribus an odio, an invidia, an commodo suo inductis, obviam itum. Nunc cum totum illud de ea reducenda conſilium in id mali maxime incurrat, ut Pio VI. negotium & novum, & arduum a nobis creetur, qui, repugnante manibus pedibusq. Hispania, morem non eſt Poloniæ, opinor, geſturus, tibi non assentior, etiamſi tecum maxime faciam, clariſſime Lipſchi, nobis esse Jesu Societatem reſtituendam. Eſt vero nobis compertum & cum duobus abhinc annis, & cum anno rursus proxime superiore, vulgatus fuisset rumor in Polonia de reſtituendis Jesu Sociis publice actum iri; Hispaniam obnixissime cum Romano Pontifice egisse, ne quid ille tale apud nos fieri pateretur; qua de re tota me jussu Pii VI. Vir clariſſimus Apoſtolicus Nuncius certiorem faciebat.

ADNOT. VIII.

NUNTII PONTIFICII AD REGEM POLONIÆ SUPPLEX COMMENTARIUM SACRA REGIA MAJESTAS.

DOminus Mareſcallus Comes Czernizevvius Albæ Ruſsiæ Vicarius Imperialis litteris ſuis die 2. Jul. 1780. Mohilovia datis, dum Imperatrix in ea Provincia morabatur, notum fecit Græco Polocenſium Archiepiſcopo unito, quemadmodum ipse Archiepiſcopus occaſione ſuæ in Poloniam profectionis, cum renuntiatus eſſet Kioviæ Metropolita, Polocenſis Diœceſeos curam pro tempore commiſerat Uni ex gravissimis Cleri ſui Viris, ita ſup. hac re nihil ei agendum ſupereſſe, donec Majeſtas Sua Imperialis declararet, quid præterea fieri velit.

Præſul iſte renunciatus Metropolita poſt brevem in Polonia, menſibus Januari, & Februarii commorationem redierat menſe Martio, ut in adventu Majeſtatis Suæ Imperialis eſſet Polotiæ & Eccleſiæ ſuæ rebus conſuleret.

Cum igitur Præſul iſte Polotiam verſus iter faceret Ruſsiæ Orator (Comes de Stakelberg) in mandatis habuit, ut Aulæ ſue nomine reſponſum daret Magiſtrati tuæ, quæ gravata non fuerat officia ſua apud Ruſsiarum Imperatricem interponere, ut obtineret ſive tanquam Coadjutorem, ſive tanquam in Polocenſi Sede Succeſſorem Rev. VVaſinski Baſilianorum Protoarchimandritam, cum ante commemoratus Præſul ad Metropolitanam Sedem eveheretur. Reſponſum Majeſtatis Tuæ optatis contrarium eeſe conſtitit.

Dominus Jaſon nmogorzevvuski adhuc in itinere erat, quo Poloniam redibat, cum in fauſtum hunc nuntium accepit. Ei ſignificatum fuit a Domino Mareſcallo Comite Czernizevv Majeſtatem Suam Imperialem in animo non habere Coadjutorem illum VVaſinski concedere: ad aliud tempus differens ſtatuendi de ejus Succeſſore conſilium. Conſequens fuit ad hoc Imperatricis mandatum, ut commemoratus Mareſcallus litteras ſcriberet, de quibus ſupra.

Calcedonenſium Archiepiſcopus (a) Nuntius Apoſtolicus ſuarum partium eſſe ducit Majeſtati Tuæ Sancti Patris nomine ſignificare *injuriam*, quæ ſanctæ Religioni irrogaretur, & gra-
vissima

(a) *Joa Andreas Archetti*.

vissima *damna*, quæ unitis Albæ Russiæ Catholicis inde ſuborirentur, ſi, recedente iſto eorum Archiepiſcopo, ipſi vero, legitimoq: Paſtore privarentur.

Quandoquidem ii, quibus Polocenſis Diœceseos regendæ curam committere ſtatutum eſt, quamvis ad supplenda quævis Epiſcopalis miniſterii munera satis ſint idonei, nullo modo possent Episcopi partes adimplere in pluribus aliis rebus maxime necessariis, quæ gradum Episcopalem plane requirunt. Idq: multo potiori Jure, quod, deficiente Polocenſium Archiepiſcopo nullus alius uniti Ritus in Russæ ditione adiri poteſt Episcopus.

Hanc ob rationem infrascriptus Nuntius Majeſtatem Tuam Papæ nomine precatur, ut Regio suo Patrocinio tueri velit poſtulationis æquitatem, nimirum ne confectio negotii ad Successorem Archiepiſcopi Jasonis Smogorzevvki Kioviæ Metropolitæ renuntiati spectantis ad aliud tempus differatur ſine Successore, aliave Persona, quæ Episcopalis dignitate ſit inſignita; Grex ille Catholicus privabitur perfecto ſpirituali regimine, quo fruebatur, cum Polocenſis Diœceſis ad Majeſtatis Suæ Imperialis Ditionem tranſit (*a*) & de quo ipſi expresse cautum fuit articulo quinto pacti conventi. (*b*)

Præterco hic rumorem, qui diſſipatus eſt, Novi Archiepiſcopi electionem ea mente, conſilioq: differri, ut Polocenſis Sedes *supprimeretur*, aut in eam, ejuſq: Successores *mutatio* aliqua induceretur, videlicet ne assumeretur ex eodem Ritu unito; quo fieret, ut immutaretur Status Catholicorum utriusq. Ritus quorum conservatio solemniter promissa fuit.

Deniq: hujusce disseminati Rumoris non alia de causa hic fit mentio, niſi ut confugiatur ad officia Majeſtatis Tuæ apud Auguſtissimam Russiarum Imperatricem, quæ quam bene erga Religionem ſit animata nemo non novit, *nullanq: mutationem pati posse ejus fidem, quam ipsa dedit, conservandi semper Catholicos utriusq: ritus in eodemmet ſtatu, in quo erant eo temporis articulo, in quo perfectum fuit antedictum pactum, & conventum*.

(a) *die* 4 *Sept.* 1772. (b) *die* 18. *Sept.* 1773.

APOLOGIÆ

PRO JESU SOCIETATE

IN ALBA RUSSIA INCOLUMI

EX LEGITIMA INSTITUTIONE TIROCINII,

ET CREATIONE VICARII GENERALIS

LIBER IV.

EDITOR LECTORI SUO.

ANSTELEDAMI

1793.

demum hoc commentario, versura ab illo sene meo facta, licebit omnibus ad libellam persolvere. *Accipe*, (Lector humanissime; ut tecum formula transigam Terentiana) *Accipe: hem: lectum est*: conveniet numerus quantum debui. (*a*)

Ecce tibi, collecta in unum corpus; offero ea monumenta, in quibus Jesu Societatem in Alba Russia & salvam, & tirocinio suppletam & legitima Præfectura Vicarii Generalis, ex auctoritate tum sacra Pii VI. Romani Pontificis, tum civili Augustæ Imperatricis Catharinæ II. instructam videbis: Res enim tota per Stanislaum Siestrencevviczium, Apostolicum Pii VI. Delegatum, volente, atque adeo jubente Catharina Imperatrice, agebatur.

Ergo a me Senex ille meus, non ita pridem rogatus, harum auctoritatum, deliciarum scilicet suarum ex longiore intervallo curiosissimus, & si senectutem, quam per se morbum vocabat, prius excusasset; tamen, quæ jam tibi exhibeo, monumenta, non latina modo facta; sed brevibus commentationibus suis explicatiora, tandem mittebat.

Duo præfatus ad me per epistolam fuit: alterum. Sese latina ea idcirco fecisse, quod utilitati po-

(*a*) Ter. Phor. 1. 2. 8.

potius communi eruditorum servire, quam isti, nuper male nato, Sciolorum fastidio, qui, cum ab inscientia sua non possint, latine se velle scribere popelli gratia negant, cuperet blandiri: alterum, ideo commentariunculas suas iis se allevisse monumentis, ne quis fucam a fabulis Ephemeriorum istorum scriptorum, multo auro, argentoque ultramontano, atque etiam ultramundio, ut ipse dicebat, id est, ab altero mundo Brasiliæ, Messici, Peruvii, (si satis illum ego capio,) emptis, fieri sibi pateretur. Hæc ille meus Senex.

At ego nunc opinor, paulo essem vel ineptior, vel lucri a largiore opera mei præli avidior, si pluribus probare contenderem, ea omnia legitima, sincera genuina esse monumenta; cum de eorum fide ne Adversarii quidem Jesu Societatis ausi sint, palam ambigere; ausuri sint ulla dubitatione (quid enim illi non audeant in Jesu Societatem) si ea adulterina monstra fuissent, aqua, igne, fulmine etiam Vaticano, expiata, in interitum, atque oblivionem adducere sempiternam; Contra quæ cum semel, aut bis Scriptor, nescio quis, crocitare jussus sævum fecisset auspicium; illico veritatis voce fuerat coactus tacere; nec enim ut ille vocem, sic alii vulgo fidem habebant venalem.

 Quod

Quod & hujus silentium, & aliorum ejusdem commatis fabulatorum taciturnitas, mihi bonum augurium facit, ut sine metu, ne quis majorum frigore me illo Horatiano feriat, hæc monumenta in unum volumen collecta hoc ordine proferam. Primum Litteras Encyclicas Cardinalis Pallavicinii; deinde Rescriptum Pontificis Maximi Pii VI. tum Pastorales Mallensis Delegati Apostolici, præterea Epistolas Nuntii Varsaviæ; postremo Epistolas Imperatricis. Ex quibus omnibus totius telæ fila, a nobis retexenda, petenda erunt.

Tibi vero Lector, si magis veritatem velis amicam, quam omnes, non illos dico Platonas, sed istos Aristippos purpuratos, quos in aulis regiis omnis calumniæ decuit color; spero me facturum esse gratum; sin ad illud te conferas, *Veritas odium, obsequium amicos parit*. Te lectorem, te Judicem, multum valere jam jubeo.

§. I.

Catharina II. intercedit Abolitioni Jesu Societatis in Alba Russia justissimis de causis.

QUo tempore illud Breve Clementis XIV. editum Romæ fuit, quo Brevi religiosum illud Jesu Societatis corpus Pontifex

ille

ille Romanus ibat abolitum ; (reprobatum vero , opinor , Institutum Pium ejusdem Societatis , a Tridentino Concilio approbatum , non ibat) jam eo tempore ipso Catharina Imperatrix Augusta, jure supremæ potestatis , conservationem eorum Jesu Sociorum in Alba Russia auspicata bonis artibus fuerat; quippe quæ fidem suam die quinta Septembris (cum nondum eo pervenisset illud Breve Clementinum) anni 1772. Edicto publico (*a*) obstrinxisset , se omnium in Alba Russia Civium statum integrum , atque incolumem esse servaturam .

Ubi vero ejusmodi in vulgus diditum Clementis decretum Catharina recepit , quod ad se recta non esset Roma missum , pro supremæ potestatis jure edicebat , ne quis in Alba Russia Jesu Sociis indicere , neve quis exequi omnino auderet , illud Romani Pontificis Breve, quo & pristinus eorum Civium suorum status labefactandus , & sua ipsius fides , die quinta Septembris 1772. promissa , eludenda videbatur (*b*).

Aliquando vero post , cum jam in fœdere publico illius cessionis , quo possessio Albæ Russiæ ab illa iniretur , Articulus quintus ,

qui

(*a*) v. in hiſt. an. 1772. typis Pitterianis pag. 58.
(*b*) Ibid. & pag. 126

qui totus esset de statu illo pristino omnibus, sine exceptione, servando, sancitus fuisset, duo illa Augusta postulabat, quæ sibi jure suo deberentur: alterum, ut Romana Majestas, quæ Articulum illum quintum probasset, promissis utrinque conditionibus staret: alterum, ut & Polonus Rex, qui publicus ejus fœderis Sponsor accessisset, & Romanus Pontifex, qui Articulum quintum postulaverat, non modo saluti eorum Catholicorum, atque adeo ipsorum Jesu Sociorum, nihil nocerent; verum etiam iis omnibus rationibus pro virili parte faverent, quas ipsa ad tuendam conditionem Catholicorum (&, quod inde consequens erat, Moschuanæ Jesu Societatis) integram, salvam, incolumem excogitasset, quibusque artibus utilitate Catholicorum in Alba Russia ex pactis conventis in posterum consuleret.

§. II.

Imperatrix pœnam irrogat iis, qui, se invita, conati fuissent Breve Clementinum in Alba Russia edicere.

ET illa vero Augusta, nihil frustra moliri solita cum Edicto publico omnibus Albæ Russiæ & Curiis, & Magistratibus, qua Eccle-

Ecclesiasticis, qua sæcularibus, præcessisset, non modo ne quod Roma profectum rescriptum, nominatim vero, ne illud adversus Jesu Societatem Breve Clementinum, sine suo ipsius Imperio, denunciaretur; verum etiam ut sine cunctatione in manus Præfectorum suorum, si quod tale Decretum Romanum allatum fuisset, illico traderetur; meritas ab iis statim pœnas exegit, qui velle minus, sibi obtemperare visi fuissent. Ita enim accidit, ut & Parochus Orsæ, & Vicarius Parochi Viterbii, (a) post Edictum Imperatricis dicere non dubitaverint (verene, an secus, nihil definio) sibi a Curia Episcopali Vilnensi mandatum fuisse, ut in sua uterque Parœcia Decretum illud abolitionis publice denunciaret, qua re comperta, uterque ab omnibus Imperii Moschuani finibus est publice exterminatus.

§. III.

Factio Anti-Jesuitica calumnias atroces in Jesuitas Albæ Russiæ nefariæ disseminat.

QUam valde Consilia Imperatricis in causa Jesu Societatis displicuerint potentissi-

(a) v. Epiſt. anon. ad Nerium Romanum Ephem.

ſimis iis hominibus, qui inter hoſtes illius ordinis religioſi nomen erant profeſſi ſuum, nihil eſt opus, me pluribus perſequi: in quo, ut nullam æqui, bonique partem illi ſequerentur, certe non eos malitia fruſtrabatur, qui facile conjectura jam tum animis præciperent ſuis, ſibi in tanto conatu, in tanto pecuniæ diſpendio, operam prope omnem in nihilum denique eſſe abituram ſi, propoſiti ſui tenax Catharina Imperatrix vivam in Alba Ruſsia retinere pergeret Societatis Jeſuiticæ Arborem tanta alibi excisam ſtrage, quæ poſtea in omnes orbis partes eſſet fructificatura: id quod eos Gallus quidam ſcriptor, jam ante commonuiſſet.

Ergo illius coitionis Principes, & Auctores claſſici, uſitata ſibi via in Albam Ruſſiam ſibi graſſandum rati, eas infamiæ publicæ notas, per ſummum injuriæ dedecus ibi ſalvis Jeſu Sociis *inurere conſtituerunt, quæ ipſa abolitionis fœdiores bonis illis Jeſuitici* corporis reliquiis poſſent videri, & quæ eoſdem viros, ex animo religioſos, eo eſſent adducturæ ut, rebus ſuis deffiſi, ſponte ſua exauctorari deſiderarent.

Summa ea erat criminationis nefariæ, ut palam & dectitarent, & credendum omnibus, bene de re catholica ſentientibus, eſſe con-

tenderent,

tenderent eos Albæ Russiæ Jesu Societatis homines & fidem obsequii adversus catholicæ Ecclesiæ Caput ejurasse, & esse pro Refractariis, pro contumacibus, pro Schismaticis, pro exclusis a Romana communione apud omnes habendos.

§ IV.

In Alba Russia ab inimicis Jesuitæ dicti palam Schismatici.

ET vero exitu non caruit suo tam impudentis calumnia atrocitas a tanta tantorum hostium malitia profectas. Nonnulli enim Catholici quidem, sed vel non sane boni, vel nimis etiam boni, in Alba Russia viri, non in sermone modo quotidiano, verum, ex scripto, etiam typis edito, illos non jam Jesu Socios, sed Bellialis filios, vocare, eosdem non modo e Romanis Sacris alienos, sed facto ipso ab iisdem exclusos alios omnes dicere, quicumque ædes illorum sacras adire; quicumque in rebus religiosis cum iisdem non dubitarent (*a*) communicare. Neque non multa fiebat populo, qui sensim a Jesu Sociis,

 quasi

(*a*) v. in Encycl. Pallav. ad omnes Nuncios pag. 108.

quasi a Sacerdotibus dubiæ fidei, abalienabantur, eo nomine vendibilior tota illiusmodi criminatio quamvis Sapientissimo cuique videretur falsissima, quod primo orta, post propagata ad extremum propugnata a certis quibusdam diceretur hominibus, quorum in re christiana neque exiguam dignitatem esse, oporteret, neque contemnenda videri auctoritas deberet.

§ V.

In Alba Russia Jesuitæ ab Augusta postulant, ut sibi denunciari Breve patiatur.

CUi malo vel nullum in præsens remedium vel certe aliud opportunius nullum, boni illi Russiæ Albæ Jesu Socii invenire se posse rati, quam si suam Imperatricem, unicam in terris salutis suæ Patronam, sic ipsi ultro appellarent, ut ab amicissimo illius animo non sibi salutem sed perniciem; non tutelam, sed abolitionem; non corporis vitam, sed interitum, mortemque magno in munere deprecarentur, hujusmodi supplicem libellum obtulerunt. (a)

AU-

(a) Ex Ephemer. Coloniens, ex Florentinis Mundi nolit num. 78. (28, Septemb. 1774.)

AUGUSTISSIMA IMPERATRIX.

NOs Jesu Socii ,, qui in finibus, & amplissimi, & felicissimi Imperii tui hoc Majestati tuæ maximum in acceptis referimus beneficium, ut fidem Romanam palam professi in rebus religiosis cum Summo Pontifice, illius conspicuo in terris Capite, maximoque Magistro, communicemus; Iidem nos in Alba Russia & tui fidissimi cives, & romani ritus Viri religiosi, ante Solium Augustissimi Imperii tui supplices, Majestatem tuam per jura Naturæ omnia, per omnia Religionis jura, per amplissimas Imperii tui fortunas, obsecramus ut Nobis, bona cum venia tua, liceat, publicam obsequii nostri fidem sic exhibere supremæ in rebus religiosis jurisdictioni, quam in Romano Pontifice agnoscimus, ut Clementis XIV. Breve, quo nostram hanc Jesu Societatem, in ordinem sæcularem denuo redactam, exauctoratam volebat, re ipsa exequamur. Quod si semel Augustissima Majestas tua rite nobis abolitionis nostræ decretum edici patietur; jam tu, & jurisdictione tua Imperiali usa videbere, & Nos Romano Pontifici obsecuti, simul debitum tibi pro Imperio fidem, simul Romano Pontifici, pro Apostolica potestate, obligatam obedientiam

 præ-

præstitisse ex animo voluisse, dicemur."

§. VI.

Nunquam alias visa talis obsequii Pontificii in Historia Ecclesiæ fides.

QUæ quidem ego postulata, satis certo scio, ficta a Jesu Sociis pro veris venditari, hostes illorum prædicarent, nisi ea in Actis earum urbium publicis legissent, ubi intermortuæ Jesu Societatis reliquiæ nihil possent. Quod enim. (Proh Sancta Christi Religio!) testimonium clarius, quod amplius, quod gravius monumentum fidei erga supremam Potestatem, obsequii erga Apostolicam, Pontificis Romani Majestatem, omnia ante acta Ecclesiæ Catholicæ Sæcula viderunt?

Nihil cuiquam detractum Jesu Societas volet, quæ, ut allii ex alienis ruinis crescere cupiant, sic ipsa per damna, per cædes, ab ipso duxit semper opes, animumque ferro. Et tamen non possum illius Alba Russiæ Jesu Societatis religionem, pietatem, fidem, obedientiam non illis omnibus ordinibus religiosis infinitis partibus anteferre, quos similia adversæ fortunæ tempora indiscrimen simile adduxissent. Ubi Mariani Servi Religiosi, ubi Scho-

Scholarum Piarum Magistri, ubi boni Fratres Infirmarii visi ante fuerant, velle sua ipsorum vineta cedere? Sibi fulmen abolitionis rite in caput suum elicere? Sibi vivis funus præparare? Sibi paratum Patrocinii auxilium in perniciem suam convertere, atque eo nomine convertere, ut Apostolicæ, non dicam, Sedi, aliquid e Cathedra definiente, accrederent; sed ut Romanæ Jurisdictioni, Romanæ Aulæ, Romano Foro, sententiam in re œconomica ferenti, obsequium præstarent?

Profecto, quod laudet in ea Moschuanæ Jesu Societatis vel fide, vel pietate, vel religione, posteritas tota abunde est habitura. Utinam ne eadem posteritas, nihilo mirata minus, immortale odium, quo illum ordinem religiosum conjurata Ministrorum Regiorum factio prosequebatur esset habitura, cur eorum impudentiam, impotentiam, libidinem, calumniam detestaretur. At detestabitur certe illorum inexpiabilem furorem tota sæculorum omnium memoria, cum recordabitur, ne illo quidem Jesu Societatis publico testimonio sisti potuisse, ut criminatores in posterum a calumniis desisterent.

§. VII.

§. VII.

Catharina II. Constantius obstitit postulatæ denunciationi.

AD Augustam Catharinam, & æquissimam rerum omnium arbitram, & optimam æstimatricem redeo. Illa vehementem in modum postulatis delectata piis, in quibus vivis, quod ajunt, coloribus expressam legeret eorum Civium suorum non modo erga se fidem Imperio addictam, sine cujus venia gratificari Romanæ Aulæ minime auderent; sed eminentem etiam religionem erga Pontificem Summum videret, quam cum certa ordinis sui pernicie, cum acerbissimo suo ipsorum dolore, cum maxima facultatum suarum omnium ruina (non nolente tamen ea Patrona sua, quæ una in terris vim Pontificii fulminis procul ab eorum corporibus arceret,) præstare illi exposcerent; tantum abfuit, ut eorum votis indulgere vellet, ut constantius ob ea ipsa vota, firmius ob ea ipsa illorum postulata, decerneret, suos Albæ Russiæ Jesu Socios, adeo fideles sibi cives, adeo addictos Romanæ communioni Sacerdotes, adeo Pontificii obsequii studiosos Religiosos, adeo cupidos firmandæ Imperii cum Sacerdotio concordiæ vi-

ros,

viros, etiam maxime invitos servare, atque in eo ordine salvos, atque incolumes, in quo fuissent antea, præstare.

Ergo huic libello supplici, a Præfecto Russiae Jesu Societatis oblato, in hæc verba per virum Clarissimum, Comitem Czernizevium, Imperatrix Augusta respondebat, cujus ille nomine rescribebat. (*a*)

IMPERATRICIS RESCRIPTUM.

„ NEmini illud magis esse vulgo cognitum, quam Augustæ Imperatricis prudentia probatum, non rite perlatæ promulgatæque legis vim esse oportere ubique nullam. Et vero illa sibi curæ, cautionique futurum, per me tibi confirmat, ne istud Clementis Breve Romanum, quo ille Jesu Societatem ibat abolitum, in ditione unquam sua recte, atque ordine denuncietur. Neque enim Augusta sui esse officii sentit, ut magis ipsa sit Catholica, quam se Catholicum in ejusmodi Rescriptis Pontificiis vel Rex ipse Catholicus, exhibeat: cui in suo quidem regno ea non probare honestissime liceat Brevia Romana, si qua ille suorum Civium bono non arbitretur salutaria.“

Hic

(*a*) Ex eisdem Eph. Colon. & Flor. n. 78. 28. Sept. 1774.

Hic ego minime dubitandam esse arbitror, quin & hoc Imperatricis Rescriptum, ab ipsa quasi Themide Augusta datum, & ille supplex a Præfecto Jesu Societatis libellus, ab ipsa obedientiæ virtute dictatus, omnibus bonis videatur.

Illud vero nunquam satis optimus quisque secum miretur nihilo meliorem apud hostes factam esse Jesu Societatis in Alba Russia causam, posteaquam & supplex libellus, & Imperatricis rescriptum in omnium aures, in manus etiam plurimorum pervenerit; præsertim si cogitet attentius, omnes calumniæ atque invidiæ faces ex eo tempore, cum publica fama de illo & libello sociali, & Rescripto Imperiali emanare cœpit, maxime illis Jesu Sociis in Alba Russia ab inimicis fuisse subjectas qui illos viros optimos, Imperatrici fidissimos cives, Romani obsequii Sacerdotes cupidissimos, non nisi transfugas militiæ Romanæ, non nisi communionis Pontificiæ proditores, non nisi fidei catholicæ desertores profanos, nominarent.

§. VIII.

Præfectus Provincialis cum Augusta de salute illius Jesu Societatis deliberat.

AT ille Præfectus Societatis Russae, Stanislaus Czenievvviczius, interea sui officii, obsequique esse ratus, ut Imperatrici, se gratissimum coram exhiberet, nihil ipse longitudine viæ, nihil infirmitate valetudinis deterritus, Polotia iter longius est Petropolim ingressus. Quo ubi primum pervenit, facillimo additu ad Augustam Catharina omnium horarum Imperatricem, admissus, postquam de suo ipsius, & suorum Jesu Sociorum nomine amplissimi verbis gratias, quam posset maximas, pro tantis beneficiis jam ante acceptis, & in posterum promissis, coram illi egisset; Imperatrix singulari quadam humanitatis significatione, atque adeo non sine quodam Imperatoriæ Majestatis joco humaniore. „ Ego vos aspicio, ajebat, plus justo obnoxios religiosæ conscientiæ scrupulis, quibus equidem in posterum nolim vos tantopere commoveri. Bono Ego animo vos in Alba Russia mea, Jesu Socii optimi, esse jubeo. Primum Ipsa ex scripto Legato Varsaviam meo praecipiam ut meis verbis Nuntium ibi Pontificium (Garam-

pium)

pium) conveniat, cujus opera spero facillime vobis ex animo iste scrupulus avelletur. Deinde Ego tibi illud omnino polliceor, Me cum honoris mei causa, tum etiam publicae fidei gratia, quam de statu pristino tuendo In Alba Russia bis obligatam volui, nunquam istam vestri ordinis religiosi abolitionem recentiorem, esse in toto Imperio meo probaturam. Quin etiam Ego vobis præcipio, ut, ne quando vitio religiosæ sobilis tam bona Jesu Societas ipsa per se deficiat, tirocinio in Alba Russia aperiendo, primo quoque tempore incumbatis, in quod eos omnes Novitios admittatis, quos Jesu Societatis vestræ idoneos nacti eritis Candidatos. "

§. IX.

Provincialis Imperatrici proponit Rei totius difficultatem.

Video equidem me nullis assequi posse verbis, quos, quantos quales grati animi sensus, ejusmodi Imperatricis responsio, notis omnibus benevolentiæ favoris, patrocinii potentissimi insignis, Præfecto illi Jesu Societatis reddita excitarit; quos ne ille quidem ipse se ullo orationis genere satis ostendere posse professus, gratias denuo maximas tam beneficæ Patronæ iterabat. At

At tanta erga Jesu Socios bonitate fretus, quod illa de aperiendo tirocinio verba tam beneficè fecisset, non dubitabat rei totius difficultatem Augustæ suæ significare.

Primum illud in ea re incommodi videre se Provincialis Præfectus dicebat, quo novo esset opus ædificio in quo novitia Juventus Societatis, numero sanæ non exigua futura, cum alibi nullo in tirocinio jam subolesceret, & cogi, & erudiri, & ali posset nec enim Societati ullas tam esse amplas, ac ne Polocensis quidem Collegii, ædes, ut tot Novitios socios caperet.

Deinde ut angustiis ædificii quoquo modo posset fieri satis, ejusmodi esse tempora, quæ in republica christiana versari, ipsa omnium optime Augusta intelligeret, ut vix, aut ne vix quidem locum novo tirocinio Jesu Societatis permitterent; non quod ipse Præfectus jus, ac facultatem allegendæ novæ Sobolis in Moschicam Jesu Societatem sibi existimaret ademptam, dum non ibi denunciatum Breve Clementis beneficio Imperatricis suae videret (Adnot. I. A) pag. 323. sed quod ipse quodammodo vereretur, ut satis sibi per Instituti Ignatiani leges, pro praesenti Societatis tempore, Novitios cooptare Jesu Socios liceret.

Cautum enim a Sapientissimo illo Lojola

fuisse, ne quis Novitius allegeretur, si quid ex eo vel Societati ipsi discriminis, vel externis hominibus non bonae opinionis esset pariendum Eos (sic Sanctissimus ille Societatis Parens, ac Conditor (a) *Eos ad Probationem (Provincialis) admittere poterit, quos ad Institutum nostrum idoneos in Domino judicaverit. Cavebit tamen, ne cujusquam admissio justam aliquam offensionem, aut Societatis nocumentum pariat.*

Nec vero sibi dubium videri, quin ex novo tirocinio duplex sit oriturum discrimen: alterum sinistræ de Jesu Sociis existimationis apud vulgus imperitum, cum sit ubique gentium prope *infinitus stultorum numerus*, æqui, atque iniqui, honesti, atque turpis ignarus: alterum acrioris odii adversus miseras Jesu Societatis reliquias inflammandi a factione simul inimicissima, simul opibus, gratia, pecunia potentissima.

Postremo addebat Provinciæ Moderator, sese jam animo, ac cogitatione præcipere illud futurum, ut per prudentem Parentum timorem venia Adolescentibus filiis ineundi tirocinii in Jesu Societate negaretur. Nec eum eos non esse valde verituros ne paulo post ipsorum liberi domum redire cogerentur, si, quod passim

---

(a) Conſt. part. I. c. 1. & in Regul. Provincialiſſimum 32.

sim alibi armatus hostium furor in abolendo Societatis corpore extorsisset, hoc ipsum in Alba Russia totis viribus aggrederetur. Unum illud sibi tot difficultatibus remedio futurum, si non ipse Præfectus sponte sua, sed aliquis Ecclesiæ Magistratus, auctoritate Pontificia ornatus, tirocinium aperire Jesu Socios ipsos juberet.

§. X.

Imperatrix impedimenta omnia superat.

IMperatrix oratione Præfecti Provincialis, non moderatione tantum animi, sed consilii prudentia plenissima, visa vehementer delectari, statim obviam impedimentis ire cœpit.

Primum enim ut angustiis ædium collegii Polocensis, ubi erectum velle se tirocinium ostendebat, mederetur, concedere se Præfecto, ut viam publicam, quæ ædes Collegii ab ejusdem vicino horto sejungeret, inædificaret. Neque hoc solum, sed si parum amplum spatium in ædificanda via publica futurum videretur, sese Insulam, seu vicum proximum, ab Hæbreis Polotiæ habitatum, futuro tirocinio addicere. Ne

Ne vero ædificationi mora esset penuria pecuniæ, Augusta Collegium illud certa tributorum pensione statim levatum a se volebat, quo & promptius tirocinium sugeret, & facilius major Sociorum Jesu numerus in eo Collegio aleretur.

Deinde de tollendis cæteris obstaculis, a Præfecto significatis sibi rem totam curæ futuram Augusta pollicita, plenum spe bona, ac lætitiis omnibus, ut fit, incedentem, a se Provinciæ Moderatorem dimittebat.

§. XI.

Imperatrix constituit a Romano Pontifice postulare sibi Episcopum Mohiloviæ.

RES vero illa tota de procuranda facultate a Romano Pontifice, qua aliquis Ecclesia Minister instructus, atque ornatus juberet, tirocinium in Moschica Jesu Societate institui digna visa fuit Augustæ, in quam non minus auctoritatis suæ amplissimas vires, quam egregiæ ipsius prudentiæ nervos omnes, intenderet,

Et in ea quidem causa aliquis antea jam erat Augustæ gradus, ab illa æmulatione liberioris potestatis, quodam modo factus, quæ

omnium

omnium civitatum Magistratibus solet esse communis; qui, quasi quadam Imperii rivalitate, cives nolint suos in rebus religiosis iis obnoxios Ecclesiæ Præfectis, qui ipsi non sint sibi subjecti domi suæ Cives, excepto uno Ecclesiæ totius Pontifice Maximo.

Vix enim Augusta in possessionem Albæ Russiæ venerat, cum eo politici jam Imperii ducta consilio a Clemente XIV. postularat, ne in illa Provincia sua in posterum Catholici ad Vilnensis Episcopi ditionem, sive diœcesim, pertinerent; neve ejus suffraganeo, sive Vicario parerent; Siquidem & ille Episcopus in Poloniæ finibus vellet residere, & pro se Proepiscopum ad arbitrium suum in Albam Russiam mittere. Quod si ita esset animatus, ut Vilnæ mallet Episcopus, extra Imperium Moschuanum, permanere; Illa jure quodam suo Clementem rogaverat ut a VVilnenſi omnem Albæ Russiæ ecclesiasticam jurisdictionem in Stanislaum Siestrencevviczium, jam Mallensem Episcopum, transferret, quem Episcopum Mohiloviae denuo nominaret; cui novo Episcopatui constituto ipsa ex ærario suo statum, certumque pecuniæ stipendium attribueret.

Et Clemens quidem mense Decembri 1773. omnem Episcopi diœcesani auctoritatem in Alba Russia illi Stanislao Mallensi cum concesis-

set

set; titulum tamen eidem Mohiloviensis Episcopi nominatim non concesserat. Qua tamen exceptione tacita nihil Aula Petropolitana est deterrita, quominus illum Episcopum Mohiloviæ ex eo tempore appellaret, quem nos tamen Mallensem in his comentariis nominatum semper maluimus.

§. XII.

Imperatrix jubet, Mohiloviensem Episcopum Romam monere de suo erigendi Tirocinii consilio simul per oratorem suum Varsaviæ agit cum Nuntio de Delegato Apostolico sibi dando.

Ergo hac jurisdictione Diœcesana Mallensi jam ab Aula Romana concessa, utendum sibi esse Augusta existimabat, ut rite aliquis Episcopus, Romani Pontificis facultate munitus, Jesu Societati Moschuanæ præciperet, ut ipsa novum sibi tirocininm constitueret. Et si enim illa sibi jus omne esse videret, ut partim recta a Pontifice Romano, qui caput illud quintum fœderis in cessione Albæ (*a*) Rus-

(*a*) V. Librum de jure privato Imperatricis.

Russiæ, de statu pristino in illa omnibus vindicando, sanxisset, facultatem tirocinii instituendi postularet, sine quo prior eorum Jesu Sociorum status paulatim esset evertendus; partim a Polono Rege, ejus fœderis vindice, ac patrono, juratam fidem in erigendo illo tirocinio exigeret; maluit tamen non illo jure summo, sed moderatiore consilio usa per Mallensem suum voti se compotem in obtinenda venia fieri.

Re ita apud se constituta, simul præcipit Mohileviensi suo Episcopo, Stanislao Siestrencevvviczio, ut Romanum Pontificem per litteras certiorem faceret, quanta contentione Imperatrix secum pro aperiendo Jesu Societati tirocinio ageret, simul ad Legatum suum Varsaviæ litteras scripsit, ut iis nomine suo per Varsaviensem Nuncium ab Aula Romana postularet, ut Episcopum Mohiloviæ Delegatum quidem Apostolicum (Nuncium omnino eum sibi mitti nolle) Romanus Pontifex creare vellit, cui amplissima jurisdictio in universos Imperii Moschuani Catholicos, præsertim vero in omnes ibi religiosos, sine ulla exceptione concederet.

§. XIII.

Quibus rationibus acta Imperatrix Delegatum sibi Apostolicum voluerit.

CUm in multis aliis rebus Sapientiam suam eximiam Catharina Augusta jam antea ostendisset, tum vero in hujusmodi causa, in dexteritate consilii capiendi, ipsa superare se voluisse mihi videtur: quod opinor, idem omnibus bonis videbitur. Primum enim ea agendi ratione illud sibi palmarium Imperii civilis votum se consequuturam esse videbat, ut universa jurisdictio Ecclesiastica in omnes cives suos religiosos, sic in uno sibi subjecto Episcopo contineretur, ut, præterquam quod nulla jura essent a Nuncio Varsaviensi, & sibi suspecto, & extra fines Imperii sui petenda, præterea cautum sibi esset, ne quis alius a Pontifice Maximo Nuncius cum Legati potestate in ditione sua versaretur.

Alterum sibi ea via votum expedire cogitabat, quod de instituendo in Alba Russia Jesu Sociis suis tirocinio avidissimè concoquebat. Sic enim & facilem, & brevem eam institutionem sibi pollicebatur, si ipsa pro Imperio cum Delegato Apostolico, sibi semel ab Aula Pontificia concessa, illud ageret, ut is, pote-

state

ſtate ſua in ordines religioſos uſus ampliſſima, Moſchuana Jeſu Societati præciperet, nondum in ordinem ſæcularem a non denunciato Brevi Clementino reductæ, ut primo quoque tempore ipſa ſibi novitios cooptaret. Si enim Auguſta nominatim a Pontifice Maximo poſtulaſſet tirocinii Jeſuitici veniam, cæteroquin ſibi jure debitam; facile illud, non dicam poſſe fieri, ſed eſſe omnino futurum, intelligebat, ut tam longa mora, ex illa deliberatione lentiſſimæ Curiæ Romanæ, dedita opera interponetur, ut ante non Brevi Ganganelliano, ſed ipſo ſenio confecti, omnes in Alba Ruſſia Jeſuitæ periiſſent, quam nova Societati ſoboles poſſit in tirocinio ſuccreſcere.

Tertium quoque illud ſibi Auguſta humaniſſima fortaſſe proponeret, ne ipſa ſibi amiciſſimo Principi Pio VI., de cujus cognitiſſimà æquitate omnia ſperare poſſet, onus aliquod officii & gravius, & moleſtius imponeret, ſi facultatem tirocinii ſuis Jeſu Sociis aperiendi plane, aperteque poſtularet. Eo enim conſilio & optandæ a Pio VI. Ampliſſimæ Delegati Apoſtolici facultatis, & reticendæ novi tirocinii inſtitutionis, tum omnem inimicis Jeſu Societatis, per ſe potentiſſimis, præcluſum Auguſta volebat, ne illi armatis Regum precibus

circumvenire Pium, neve artibus politicis sic opprimere Patrem Sanctissimum possent, ut votis Augustæ Imperatricis aut malignius, aut tardius, aut omnino nunquam palam ille suffragatus, obsecundaret.

Extremum illud denique videtur, in ea causa, Augusta fuisset sequuta, ut omnem a Romano Pontifice, communis totius Ecclesiæ Patre, arcere posset rei feliciter a se gestæ invidiam, quam ipsa freta postulatorum suorum justitia, in se totam derivare, minime verendum sibi credebat.

§. XIV.

Imperatrix exonerare Pium VI. odio offensionis constituit.

Sic enim illa, opinor secum fuerat commentata. „Equidem, quantum Ministrorum Regiorum apud Romanos Pontifices ambitiosa possit contensio, ex abolitione Jesu Societatis, a Clemente diu, multumque refragato, satis superque intelligo: Esto: invitus Ganganellius Ministrorum odio cesserit. Quid Pius VI., omni prædicatione superior? Vel Ego cum Pium mihi parum notum habeo, tum male jura mecum in hac re facientia, capio; vel

Pius

Pius Pontifex, fœderi de Alba Russia assensus, mihi quamvis nominatim tirocinium, pro tuendis in priore statu meis his Jesu Sociis, postulanti sine cunctatione gratificaretur. Quid tum vero? Quid molestiæ mea causa, mihi amicissimus Pius non esset tum ab invidia, ab odio, a potentia factionis contrariæ subiturus? a quo scilicet fidem, ab Decessore suo Clemente tot Regiis Aulis datam, de radicitus extirpanda Jesu Societate, acerbissime exposcerent.

At Ego pluris facio Pium, quam ut non optime cum tanto Principe ab omnibus aliis actum esse velim. Non committam, ut nominatim ab eo tirocinium institui postulem, & tamen ejus instituendi facultatem plenissimam a Pio me obtenturam esse meo, qua cœpi via, confido. Non enim sum nescia arcanæ Imperii solertiæ. Solet interdum fieri, ut quod Princeps vel maxime factum velit, id non expressa conceptione definitæ voluntatis suæ, sed communi quadam verborum formula, ad effectum deducat. Pius si rogatus a me nominatim tirocinium Jesu Societatis Moschuanæ concederet; summam a me quidem gratiam se initurum, sed nihilo minorem invidiam ab aliis Principibus sibi fore contracturum videret. Sin de tirocinio nihil rogatus, amplissimam Delegato

suo

suo Apostolico in omnes Ordines Albæ Russiæ religiosos impertiri volet potestatem, mihi, *quod scit me optare*, tirocinium per Delegati sui liberrimam facultatem videbit esse se largiturum, atque ita largiturum, ut sine invidia sua sine justa inimicorum expostulatione fuerit eam largitus. Nec enim Pius, pro illa sapientia sua, communi omnium celebrata sermone, non statim præsentiet, me Delegagato Apostolico Episcopo meo Mohiloviensi, pro potestate edicturam, (quod sine cunctatione me facturam jam nunc constituo), ut Moschuanæ Jesu Societati, Ordini adhuc in mea ditione religiosi, tirocinium aperiat.

§. XV.

Pius VI. Præfecto Congregationis de Propaganda dat conscribendum Breve pro novo Delegato.

Quam vero sapienter Imperatrix secum commentata fuerit, quamque bene de eventis consilii sui conjecerit, exitus ipse declaravit. Nos vero paulo post, ne nunc a proposita naratione digrediamur longius, exempla & epistolæ per Mallensem ea de re Romam scriptæ, & epistolæ ab Augusta ad Pon-

Pontificem missæ, cujus hoc erat initium: *Magna cum voluptate* recitabimus.

Ad rem redeamus. Postulata Imperatricis; per hujus Legatum Varsaviensi Nuncio oblata una cum litteris a Mallensi Episcopo in ea causa scriptis, ubi sunt Romam ad Pium VI. delata; datum est negotium Congregationi de fide propaganda, ut hæc Breve & quantum posset, & quam amplissimis posset præditum facultatibus, componeret, quibus ornatus Mallensis Episcopus in universos, Catholicam religionem professos, Delegatus Apostolicus in Imperio Moschuano crearetur.

Nihil, opinor, opus erit, ut ego quanto cum dolore, quanta cum animi sollicitudine, quanto etiam timore hostes Jesu Societatis postulata Imperatricis Romæ audierint, hoc loco pluribus persequar, cum præsertim & de litteris Mallensis aliquid rescivissent, in quibus venia pro instituendo tirocinio postulabatur, & de Pio VI. nihil dubitarent, quin sponte sua esset omnia Augustæ Imperatrici gratificaturus.

§. XVI.

§. XVI.

Hostes Jesu Societatis optant Breve componi ad eversionem illius accommodatissimum .

QUi in Congregatione Propagandæ Fidei caperant de componendo Brevi, quod quasi edictum esset futurum novo Delegato in jure apud Catholicos religiosos Albæ Russiæ dicendo, commentari , ac deliberare , & ipsi quidem per se a salute Moschuanæ Jesu Societatis satis alieni , & in eam ipsam factionis Anti-Jesuiticæ non bonis admodum artibus exacerbati, ejusmodi potestatis leges præscribere Delegato in Brevi volebant, quibus spes omnis institutionis novi tirocinii præcideretur.

Quod illis factu non arduum videbatur, si Delegato nova auctoritas ita circumscripta concederetur , ut non finibus modo Sacrorum Canonum , ac Tridentinæ synodi decretorum contineretur, verum etiam omnibus aliis vinculis Bullarum , Brevium , litterarum , Rescriptorum, Constitutionum, Decretalium Pontificiarum , astricta teneretur, quippe novus Delegatus si in illam, juris dicendi formulam se videret adactum , non esset sane ausurus , adversus Breve Clementis de Societate abolenda, novam

novam sobolem in tirocinio illis Jesu Sociis Moschuanis comparare.

At quid Delegatus etiam tunc fuisset facturus si tam restricte fuisset circumscriptus haud equidem divinavero: Delegato adacto etiam ad Breve Clementinum, in Alba Russia non rite indictum, atque adeo ibidem irritum ac nullum quid facere licuisset, facile, & judicio meo & a Cardinali Congegationis Præfecto, admonitus, intelligo.

§. XVII.

De Sententia Præfecti Castellii Breve componitur, exactum ad solas Canonici juris & Tridentini Concilii leges.

HIc enim, cum ejusmodi deliberationi præesset, qua erat & sagacitate ingenii, & Animi candore, omnino censebat, facultatem esse largiendam, solis aligatum & Canonibus Ecclesiæ sacris, & Tridentini Concilii decretis, sine dubitatione in Alba Russia receptis; aliis vero Pontificiis Brevibus, ac Decretis omnibus liberam, atque solutam: Nesciri tunc Romæ, quæ tandem in ea Provincia accepta, ac probata ante fuissent Pontificia scita; quæ contra rejecta, atque antiquata: videre se facile,

totam auctoritatem, iis formulis Delegato commissam, a religiosis illic ordinibus eludendam, eo scilicet vel jure, vel juris certe colore, quod complura fortasse illi exciperent non viguisse in Alba Russia Romani Pontificis decreta, quibus vel in Poloniæ Regno, vel in ditione Moschuna, legittime intercessum antea fuisset. Hoc mirum nemini esse debere, si in illis Europæ angulis acciderit, cum hoc ipsum quotidie in ipso sinu Europæ potissimum contigat.

Quæ cum Josephi Cardinalis Castelli sententia vinceret, sic Breve totum concipiebatur, ut Delegato Apostolico, Mallensi illi Episcopo, amplissima facultas, unis Juris Canonici, Conciliique Tridentini legibus constricta, permitteretur.

Quod Breve, hac circumscriptum formula, a Pio VI. die 9. Augusti 1778. probatum, Roma ad Joannem Andream Archettium, Varsaviensem Nuncium, die 15. Augusti ejusdemmet anni dirigebatur.

Neque propterea non illa anti-jesuitica, Romae vigil ad omnia, coitio fore sperabat, ut novus Delegatus Apostolicus, satis jam antea illi notus animi a Jesu Socii alienissimi, tam palam auctoritate in evellendis illis Jesu Societatis reliquiis esset abusurus.

Archettius ergo, qui novus Varsaviæ Ponti-

ficius

ficius jam a die 15. Aprilis 1776. comperto, Augustam Imperatricem constantissime refragari clementinæ in Alba Russia abolitionis nunquam cessasset, vi minis, malo urgere, ut Mallensis, cœteroqui amicitia secum conjunctissimus, Breve Clementis illud ibi exequutus, Jesu Socios exauctoraret; recentiore Pii VI. decreto admodum gavisus, illud quam celerrime mittendum novo Delegato Apostolico curabat, plane sibi pollicitus Mallensem, in perniciem certiorem Moschuanæ Jesu Societatis, tanta, tam ampla tam soluta in omnes Ordines religiosos jurisdictione usurum.

§. XVIII.

Mallensis, accepto Brevi, jubetur ab Augusta eo ad tirocinium instituendum uti.

JAm designatus Apostolicus in Imperio Moschico Delegatus, Mallensis Episcopus, sui officii memor, recenter sibi missum Pii VI. Breve, sine ulla cunctatione, Petropolim ad Augustam Catharinam destinavit.

Illa ejus Brevis amplissimi lectione valde delectata, in quo non exceptos Jesu Socios a Delegati Apostolici jurisdictionem non Brevibus ullis Pontificiis constrictam, non sine oculto

divinæ Providentiæ consilio, miraretur; Rescriptum Pontificis ad suum Albæ Russiæ Præfectum mense Februario 1779. remittebat; cui; litteris eodem tempore suis severe præcipiebat, ut cum in manus Mohileviensi Episcopo Pii Breve dedisset, illi nomine suo plane, aperteque ediceret, non modo Augustam nolle, eum Delegati Apostolici potestate, qua illi per Augustam in omnes religioso Imperii sui ut licebat, ad eversionem Jesu Societatis in Alba Russia abuti; verum ei præcipere, ut tirocinium recte, atque ordine in Jesu Societate institui juberet ejusmodi edicto, quo & Candidatorum securitati, & Parentum ipsorum suspicioni, fide Delegati Apostolici interponenda caveret.

§. XIX.

Novus Apostolicus Delegatus deliberat de tirocinio Jesu Societati dando.

EPiscopus, qui in omnia Piani Brevis capita, sibi a Prætore Albæ Bussiæ una cum mandatis Augustæ traditi, diligentissime meditatus, arbitraretur, omnia per facultatem Apostolica sibi licere, quæ ipse ab Augusta facere juberetur (Adnot. III.) primum omnium postri-

postridie Kalendas Martius 1779. exemplum Pontificii decreti fingedum pro foribus ædium sacrarum non aliorum modo Ordinum religiosorum, sed Collegiorum etiam Jesu Societatis, Mohiloviæ, Polotiæ Micislaviæ Viterbi, Orsæ & Duneburgi curabat.

Deinde secundis, quo ajunt curis, & rem totam, & rei totius & causas, & effecta iterum commentatus rursus ita secum loquebatur.

En tibi Breve: en tibi Augustæ mandata Institutione his Jesu Sociis tirocinium, quos cum Clemens communi decreto extinctos voluerit; eos postea & ille ipse Clemens, & Pius deinceps; Pontifices Maximi, gratificati Augustæ meæ, in eodem esse religionis statu patiebantur?

Imperatrix me illud omnino tirocinium instituere jubet; Pius mihi liberam consulendi Ordini huic religioso facultatem, de re tota certior a me factus, hoc suo rescripto, nullis aliis Brevibus Pontificiis alligato, hoc magis mihi videtur largiri, quo cautius de Jesu Societate voluerit tacere.

Video certe, quantum si Imperatrici meæ obtemperem, bono hujus meæ diœcesis, quantum hujus Moschuanæ Catholicorum Ecclesiæ, quam ego sine Jesu Sociorum opera tueri, me non posse video, sim profuturus.

At

At Aulæ Romanæ Ministri, quorum mihi tam sæpe animus apertus, tam sæpe voluntatis sensus patuit totus, non modo novos Jesu Socios nolunt denuo in tirocinio renatos; verum antiquos in Alba Russia per hanc Delegati vim, ac potentiam, mihi ad ruinam eorum ab iis potissimum commissam, extinctos volunt.

Utri vero æquius obsequar? Aulæ ne Romanæ, an Augustæ Patronæ? Si Romana Curia, quæ quam valde Imperatrix suis faveat Jesuitis, per me docta noverat, re ipsa tirocinio adversatur; Cur mihi tam largam & plantandi, & evellendi, & ædificandi, & evertendi in omnes Religiosos Ordines, Legato Apostolico, tribuit facultatem?

Non audet scilicet Augustæ palam resistere. In eo sapit illa quidem. At ego plane desipiam, si mihi cum obtemperare liceat, hic in Imperio Moschico, in tam honesta, tam necessaria tam legitima voluntate Imperatrici non obtemperem.

Novi Romanas Aulicorum artes hoc agitur, ut, si ego Curiæ Romanæ serviam, iram Imperatricis, ob non Institutum tirocinium, totam ab illa Aula, non aperte refragata, in me unum arcessam. Sin Augustæ paream, totam de tirocinio invidiam Aulæ Romanae, non pa-

lam

lam auſae tirocinio adverſari, ab eadem in me transferam.

Ego tamen ne latum quidem unguem a fide conſcientiae meae diſcedam. Mihi non modo poſſe per Pontificiam hanc delegationem, ſed debere etiam per fidem, Imperio addictam, videor in conſtituendo tirocinio jubenti Auguſtae obſequi.

At, ne nimis innitar prudentiae meæ, quod mihi Sapiens (*a*) facere vetat, in conſilium prius eruditiſſimos & canonici juris, & doctrinæ theologiæ conſultos adhibebo.

§. XX.

Delegatus edicit, ut Socii in Alba Ruſsia Novitios admittant.

DElegatus igitur Apoſtolicus ab hac animi ſui deliberatione, cauſam totam de inſtituendo in Alba Ruſsia Jeſuitico tirocinio, cum plurimis viris, quos non ſane Jeſu Societatis cupidos antea noviſſet, iisque & juris Canonici peritia, & laude theologicæ ſapientiæ clarioribus; cum nonnullis integris Academiis litterariis ita communicabat, ut eorum omnium

(*a*) Prov. 3. 5.

nium non simplicem judicii sui sententiam, sed causas etiam sententiæ ab iis adjectas, requireret.

Quid verbis opus est pluribus? Omnes ab Apostolico Delegato in ea causa consulti eum & posse, & debere Jesu Societati in Alba Russia tirocinium instituere censuerunt.

Ille his sententiis instructus, etiamsi facili conjectura assequebatur, quantopere factionis Anti-jesuiticæ odium, invidiam, calumniam esset in se concitaturus; non dubitavit tamen palam edicere, ut illi Jesu Socii, Candidatis sui Ordinis religiosi publicum instituerent tirocinium iis scilicet de causis, & quod ipse tanquam Apostolicus Delegatus in ordines religiosos Albæ Russiæ jurisdictionem haberet, & quod in Alba Russia Jesu Societas ordo rite maneret religiosus, & quod Catharina II. Augusta ex Brevi Pontificio Delegationis Apostolicæ sibi commissæ, hoc ipsum faciendum arbitrata, sibi facere præcipisset; & quod Pius VI., de re tota a se bene edoctus, hoc amplissimum ei miserit Rescriptum.

§. XXI.

§. XXI.

Delegatus agere se credidit ex voluntate implicita Romani Pontificis.

QUod si quis a me quærat, quid tandem in sententiis suis, & Consulti a Delegato Apostolico Viri doctissimi & Delegatus ipse Consultor in Edicto sint sequuti; mihi non procul, non de ultimis finibus exquirenda responsio videri solet. Quid enim? An in ipso Brevi, quo a Pio VI. factus erat Mallensis in Imperio toto Moschico, & Apostolicus Delegatus, & Censor Maximus Ordinum religiosorum, non inerat Pontificis Maximi de tirocinio illo erigendo voluntas? Quæ demum, dicat aliquis cum in illo rescripto de Jesu Societate nulla fierat mentio de ejus tirocinio voluntas, atque assensus?

Nihil hic metricis Theologorum, nihil strophis Juris Consultorum, quibus de vario voluntatis genere *præsumpto*, *interpetrativo*, *virtuali*, *formali* disputatur, hoc loco impediam.

Non dicam in Piano fuisse Brevi voluntatem *præsumptam*, (*a*) non interpetrativam (*b*) non

 vir-

(*a*) *Præsumpta* Pontificis voluntas legitima non eſt: non enim in rescripto eſt, nec esse poteſt, sed præsumitur.

(*b*) Interpetrativa Pontificis voluntas, quæ in Rescripto certe, & expresse non eſt, sed esse poteſt, interpetrando verba dubia.

virtualem, quod genus fortasse voluntatis non satis daret auctoritatis, ut veluti Pontificius Vicarius novos Jesu Societati allegeret Alumnos.

At *formalis* (id est suo concepta nomine) multo minus in Brevi extabat voluntas? istud ne ego quidem requiro voluntatis genus ab eo, qui communis Ecclesiæ Catholicæ & Episcopus & Pater esset; qui sine periculo majoris apud alios Ecclesiæ suæ filios, amplioris que offensionis, non posset clara, expressa, liquida, elata voce, voluntatem non male de Moschuana Jesu Societate merendi, studium Imperatrici Augustæ gratificandi, candide, ac simpliciter profiteri suum.

Quod igitur voluntatis Pontificiæ genus in Pontificio Brevi latebat? Divis omnibus gratiæ? Vel Pallavicinio judice ejus voluntatis nobis uti licet Cardinalis Palavicinius (non ille quidem Lazarus Ospitius Cardinalis, a Regiis Ministris adeo datus Pontifici Romano Secretarius, quod idem jam ante Matriti Nuncius fidem, Pontifici debitam, simulando morbo prodidisset) sed ille Sfortia Pallavicinius Cardinalis, optime de Tridentini Concilii historia meritus, implicitæ voluntatis genus in rescriptis sæpe esse dicebat. Quale genus vim veræ, germanæ meditatæ probatæ

vo-

voluntatis , ac rationem totam contineret ? „ Implicitum, ait voluntatis genus illud appellatur , non quod existere modo *possit*, sed *re existat ipsa* in *scripto* , quodque aliis rebus obtectum non satis eminere , ac ipsum prodere se videtur . "

Hoc ergo genus Pontificiæ voluntatis implicitum , involutum , obtectum revera in eo Brevi & fuisse, & attentiore excussum animo, tandem omnibus illic in Alba Russia apparuisse , contendo .

§. XXII.

Quibus argumentis Delegatus in ea re sit usus .

QUo istud demum argumento ? Primum ex rei gestæ ratione , non potuisse eam voluntatem Pontificis cum Augustam Imperatricem , tum novum Delegatum Apostolicum latere , contendo .

Deinde , Aulam Romanam eam ipsam voluntatem omnibus scriptis suis prodidisse conficio . Quo enim consilio res erat ab Imperatrice instructa , atque ornata ? Quo modo eadem res a Mallensi Episcopo gesta ? Imperatrix Episcopo suo præceperat , ut is per litteras Aulam Romanam doceret, se ab Augusta juberi

tirocinium Jesu Sociis in Alba Russia instituere. Episcopus de Imperatricis mandato diligentissime rem totam præscripserat, ut omnino dubium illi esse non posset, quin nota essent Aulæ Pontificiæ acta Imperatricis, tirocinium pro Jesu Sociis suis ab Episcopo suo Mallensi, in Alba Russia Sua, accerrime postulantis.

Abeo jam ab Episcopo. Illa ipsa Catharina; se per Nuncium Varsaviensem obtinuisse a Pontificie Romano videat, sibi in Alba Russia Apostolicum dari Delegatum, qui amplissima facultate Ordinibus Religiosis jus diceret, jura daret, mores regeret, disciplinam componeret. Quid ergo? Non illico Augusta, non illico Episcopus, non illico ab hoc consulti, atque rem totam edocti Viri intelligerent, in Brevi, amplissimæ, maximæ, solutæque auctoritatis a Pontifice, qui vota Augustæ de tirocinio præscisset, Mallensi Episcopo dato, latere Pontificiam assensionem? Non in eo implicitam obvolvi instituendi tirocinii voluntatem agnoscerent?

Credo enim, accepto Brevi Piano continuo secum illud Catharinam a Poeta latino iterasse; (*a*)

„ Non

(*a*) Æneid. lib. 2. v. 54.

„ *Non obtuſa adeo geſtamus pectora Ruſſi* ; “ ut quid Pius VI., a nobis monitus[1], a nobis rogatus, a nobis gratificatus, de tirocinio velit non intelligamus: tacendo clamat, ſilendo vociferatur; velle ſe illud in Alba Ruſſia per Delegati ſui ampliſſimam facultatem inſtitui, nolle ſimul, *temporis cauſa*, quod reipſa velit hoc ipſum velle ſeſe, ſine fuco, ac fallaciis more Romano, loqui, latine que dicere.

§. XXIII.

Ex ſcriptis litteris Aulæ Romanæ conſtabat de voluntate Pontificis inſtituendi tirocinii.

AT ego illud alterum affirmo in ſcriptis Aulæ Romanæ, etiam iis, in quibus tragediæ maxime, tanquam in ſimpulo tempeſtates, adverſus illud Societatis Jeſu tirocinium excitari videntur, maxime implicitam Pontificis voluntem de eodem aperiendo tirocinio emergere, ac velle foras erumpere?

Dico ex illis Aulæ Pontificiæ ſcriptis conſtare, relationem cauſæ totius Pio VI. ſic fuiſſe Romæ a ſuis factam Miniſtris, ut ex ea relatione neceſſario confici ab omnibus debeat

&

& Pium implicito assensu tirocinio favisse, & Clementino Brevi, de Moschuana Jesu Societate, re ipsa derogasse.

Age vero boni ominis causa; primo Piani Brevis verba audiamus. *Referente me infrascripto Sacræ Congregationis de propaganda fide secretario*, (quo demum homine ? N. N. non malo sane omine meliore tamen nomine). Quid ergo factum est referente N. N. ? Amplissima facultas Mallensi Episcopo in omnes Albæ Russiæ Ordines religiosos, data. Placet hercle tam ampla dignitas Delegati Apostolici; sed ea, opinor, est tota quidem metienda a voluntate Pontificis Maximi. Voluntas vero ipsa Pontificis a relatione illa facta, vel a cognitione causæ potius, colligenda. Nihil enim sit oportet, in Delegato Apostolico legitimæ potestatis, quod non concessum voluerit illi Pontifex Romanus. Nihil hic porro concessum illi voluerit, quod prius ipse non cogitarit, non probarit: Nam *ignoti, ajunt, nulla cupido, nulla voluntas*. At nihil Pontifex, opinor, in ea causa cognorit, quod non Secretarius aliquis, non aliquis Interpres, illi retulerit.

Quid ergo N. N. relator ? Quid Congregationis Segretarius Pio VI. de Alba Russia nunciabat ? Hic non opus est Delio natatore, res ipsa

per

per se loquitur. Ille quidem litteras a Mallensi, in quibus esset votum Imperatricis Augustæ; votum autem? imo vero præceptum, de tirocinio in Alba Russia sua aperiendo, ubi Jesu Societas in statu permaneret pristino, ubi Breve abolitionis nondum fuisset de more denunciatum, acceperat.

Ille idem N. N., vir cum in omnibus aliis causis impiger, tum in ea adversus Jesu Socios maxime acer, a Nuncio Varsaviensi Romam missa postulata Imperatricis legerat, quibus illa sibi Mallensem exposceret in Imperio suo toto Apostolicum Delegatum. Quid ergo Pio referret Secretarius vel potius, quid non referret? Non singula rei totius capita? Non distincte Augustæ consilia? Non vota potissimum de tirocinio illis Jesu Sociis aperiendo?

Injurius in fidem Secretarii, calumniator in N. N. jure dicatur, si quis eum malum relatorem, si quis infidum veritatis interpetrem coram Pontifice Pio, fuisse mentiatur. Bene quidem se relatio habeat. Ergo ex ea relatione sciens, ac prudens Pius implicita voluntate tirocinium, postulatum a Mallensi, ab Imperatrici Mallensi præceptum erigi non nolebat, cum Breve amplissimum novo Delegato Apostolico creando edebat, cum omnibus

aliis

aliis reſcriptis etiam nomine ſuo, Brevibusque omnibus ante latis, in Brevi ſuo derogabat, quæ jus Delegati ampliſſimum in moderandis Ordinibus religioſis in Alba Ruſſia poſſent coercere. Non ergo Brevi Clementino de Jeſu Societate abolenda Pius VI. parcebat, quod unum maxime tirocinio videretur obſtare.

§. XXIV.

Ex Encyclica Pallavicinii res tota facta est manifeſtior.

VErum cur ego conjectura utor, ut bonam in ea cauſa tota Pio referenda N. N. fidem probem maxime cum ille idem, una cum illo Nuncio Varſavienſi, in ſcriptis, poſt inſtitutum jam in Alba Ruſſia tirocinium editis duo & re ipſa fateatur, nec tamen velle fateri videatur: alterum, Pium bona fide rem totam edoctum fuiſſe; alterum, Breve illud de creando Apoſtolico Delegato ſine fraude edidiſſe.

Quid vero? Dicat aliquis an tu dices, eo Aulæ Romanæ Miniſtros tenebras veritati offundere voluiſſe? Non audeo in tales Purpuratos ex ore Chriſti illud objicere: *qui male agit, odit lucem*, illud unum in illis leviter excuſem, ſæpe principes in republica viros

non

non secus tempori in scribendo, quam Oratores soleant causæ suæ servire in dicendo.

Certe Cardinalis Pallavicinius, a secretis Pii VI. in illa epistola Encyclica, circum omnes Nuncios missa, in qua vellet ab omnibus auctore se, creditum, Delegatum Apostolicum, præter voluntatem Pontificiam, ultra permissam ipsi potestatem, progressum in erigendo tirocinio fuisse, ita inducit & egisse, & scripsisse Mallensem, ut aperte constet Pium multo ante, quam illum Apostolicum Delegatum crearet, nihil causæ totius ignorasse.

§. XXV.

Summa relata in Encyclica rerum, a Mallensi gestarum.

QUid enim ibi narratur scripsisse Mallensis? In Alba Russia, post editum abolitionis decretum, *Jesuitas pergere ex Instituto suo, eodem vivere modo, quo, ante illud decretum editum, vivebatur.* Satis hercle belle? *Rursus Imperatricem in Alba Russia Brevis illius Clementis executionem nolle. Nolle autem? imo vero ibidem tirocinium Jesu Societatis institutum denuo Imperatricem velle.*

Satis vero diserte loquutus, narratur in

Ency-

Encyclica Mallensis. Porro quid ab Aulæ Romanæ Ministris dicitur ad Mallensem rescriptum fuisse? „ Mallensi, ait, a Nobis responsum fuit: ut & Breve Jesuitis in Alba Russia denunciaret, & iisdem Ministeriis sacris interdiceret, & institui ibidem tirocinium vetaret.

Miror sane nihil ab Scriptore Encyclico in hac parte dissimulari: gaudeo etiam, tam palam, quæ postea gesserit Mallensis, Encyclicæ ascribi, Episcopum, pergit, Mallensem, qui sine offensione Imperatricis non posse se Breve illud denunciare videret, neque idem decreto novo obviam ire auderet; qui itidem sine detrimento Ecclesiæ illius maximo, ubi maxima esset Sacerdotum ad procurandam salutem animarum penuria, non posse se a sacris functionibus Jesuitas prohibere intelligeret, constituisse tandem Diœcesi illi nuncium remittere; Imperatricem contra postulare, ut Delegatus Apostolicus, idem ipse Mallensis, in Imperio suo Romæ juberetur.

§. XXVI.

Et causam Pius noverat dicendo Delegato Apostolico & opem tacitam Jesu Societati per illum latam volebat.

HIc ego paucis rem totam transigo. Quid quæso de te Pallavicini, nos sentire vis? Quid de te, N. N., nos opinari? Utrum, quæ vos in Encyclica de Alba Russia narratis, erant per vos Pontifici relata Pio, an non? Si non erant, a vobis Pontifici proposita; ubi fides? ubi veritas? ubi officium publicæ personæ, rebus maximis præfectæ?

Si etiam, non ergo Mallensis præter voluntatem Pii VI. tirocinium instituebat, ubi se Apostolicum Delegatum videbat ab eo Pontifice, qui, quod vellet Imperatrix in causa Jesu Societatis, sciret; qui quid Mallensis facere recusasset, non ignoraret; qui in Brevi suæ delegationis amplissimo omnibus aliorum Pontificum, atque adeo Clementis XIV. Brevibus derogari videret, qui nulla alia sibi arcana mandata, nulla clanculum commonitoria missa eo tempore, cum Pianum de se delegando Breve accepit, sibi conscius esset.

§. XXVII.

Recordatione Mallensis, ab Aula Romana vexati, Pius de Jesu Societate in Brevi edendo cogitabat.

QUoniam vero Pii VI. voluntas, de tuenda salute illorum Jesu Sociorum, ita in ipsius Brevi latenter eminet, ut ex omnibus illius decreti partibus in omnium oculos erumpere velle videatur. Omissis tantisper litteris illius Encyclici Scriptoris Pallavicinii, Breve Pianum prosequamur.

Do N. N., do, inquam, illi Secretario Congregationis, fidei propagandæ causæ institutæ die 9. Augusti 1778. ipsum, bona fide oblitum operæ Jesuitarum; ad salutem animarum necessariæ, de tota illa causa Moschicæ Jesu Societatis, de diuturna per quinquenium controversia, tot ultro citroque scriptis litteris agitata, ne verbum unum quidem apud Pontificem Maximum fecisse. Sit verum id, quod nemini fiat vero simile quale genus frequens in causa Societatis abolendæ reperietur, quid tum postea? Ea ne de causa defuisse voluntas illa Pontifici Pio, dum Breve probaret, erit dicenda?

Si quis ita de Pio existimaret, non jam vigilan-

gilantiſſimum Eccleſiæ Patronem; ſed obliviosum, neſcio quem, ac prope deſipientem, ſenem, ſibi Romanum Pontificem per ſummam injuriam, ne prope dicam, contumeliam, effingeret. Quadriennium enim totum, pro re nata, pro loco, ac tempore, præter etiam locum, & tempus, opinor, ſæpe Pallavicinius, ſæpe N. N., ſæpe Oratores Regii, ſæpe alii Jeſuitarum Inimici rem, cauſam, acta Ruſſiæ Jeſu Societatis, ſatis certo ſcio, ad Pium VI. detulerant, quem, etiam non ab aliis admonitum, ea cura ſæpiſſime ſollicitum pro rei gravitate haberet.

Aderat eo die 9. Auguſti Pius cum Breve excripto Secretarius coram ſe recitabat. Quæro, ad illa cum jam veniſſet verba, rem totam novi decreti continentia, *ad conſervandam, tuendamque regularem obſervantiam in locis, quæ Moſchicæ ditionis ſubſunt*: fieri ne potuit, quin illius miſeræ, ac Regularis Jeſu Societatis reliquiæ ad ſe totam Pii VI. mentem converterent?

Nunc mihi per te, Optime Pontifex, relicto recitatore N. N., te abſentem alloqui, liceat. Non tibi, cum ea verba audires, miſeri illi Jeſu Socii, quos potentiſſimæ Imperatricis fides non tam a Brevi, per vim ab invito Clemente extorto, quam a furore Regio-

rum

rum Ministrorum salvas, & incolumes servaret, cum ipsi pro obsequio Romanæ sedis perire postulassent, sese ob aciem, oculosque animi tui offerebant? Non eos, quasi præsentes coram te haberes, eodem in statu observantiæ regularis, solita in contentione salutis publicæ procurandæ, iisdem in *Ædibus* sacris, operam ministeriis suis navantes tibi videbaris aspicere?

Non eorum memoria pectus tuum misericordiæ, atque humanitatis sensu maxime clemens, ac mansuetum fodiebat, cum tam exiguum illorum numerum, in sex Collegiis, in octo Missionibus divisum, tot, tamque variis Instituti sui ministeriis addictum, ita pondus diei, & æstus, & frigoris, in extrema illa Europæ plaga ferre recordabaris, ut, quoniam non illis postulantibus perire per obsequium suum contigisset, quod Sedi Apostolicæ præstare se velle, prodita pene fide religiosi Sacramenti, ostendissent, brevi esset omnibus vel senectute, vel improbitate operæ vel onere tot occupationum pereundum, nisi defectum illorum corpus novo delectu supplere, nisi senescentem eorum Societatem nova tironum Sobole recreare, per te in Alba Russia Delegato Apostolico liceret?

Non denique tibi illius Articuli quinti, in

fœ-

fœdere publico nomine Sanctæ Sedis in cessione Albœ Russiæ cum Catharina Imperatrice sanciti veniebat in mentem, ex quo fœdere pristinum illis Jesuitis jus statum, conditionem conservare salva, integra, immutata tenebaris?

Equidem de benefica Pii VI. erga illos Jesu Socios voluntate, nihil dubitari posse video ab iis quibus, si minus verum, atque aequum, at veri tamen aliqua species atque similitudo non omnino displiceat.

At mihi ad N. N., ad Pallavicinios redeundum jam existimo. Utrum hi duces hi conjuratæ factionis in Jesu Societatem principes, nihil Pium VI. cum illa sibi verba recitari audiret, recordatum fuisse dicent, neque residui in Alba Russia Ordinis Jesuitarum religiosi, neque repudiati illinc ab Imperatrice totius Ganganelliani decreti, neque tirocinii per Mallensem a Sede Apostolica postulati, neque strepitus, ubique gentium per hostes Jesuitarum in Augustam Imperatricem ea de causa cothurno plus quam tragico, excitati? Id si illi sibi credi postulabunt, eodem tempore haberi se plane veneficos volent, qui sibi, qui verbis suis, qui Brevi recitato oblivionis, plusquam Circeæ artem magicam arrogent.

An iidem, illud plane confessi, non potuisse, audiendis illis verbis non meminisse Pium

VI.

VI. Jesu Societatis, in Alba Russia periclitantis. In Alba Russia extremum prope spiritum agentis, contendant tamen, neque ullo humanitatis sensu affectum Pontificem fuisse Romanum, neque ullam ne tacitæ quidem voluntatis opem miseris illis Danaum, reliquis, nescio quorum, fallacium certe atque immanium hostium, religiosissimis inquam illis Viris, diu fatali quadam invidia afflictis, ferre voluisse? Prostratis denique fortunæ sævientis impetu evangelicis illis Operariis manum quoquo modo porrigere noluisse?

Hoc si postulent de Pio sibi credi; Illi quidem non in Pio VI., ad omnem paternæ indulgentiæ lenitatis, misericordiæ sensum maxime facto; sed in se ipsi illos ex Evangelio (*a*) communi humanitatis sensu expertes & Sacerdotes, & Levitas nobis denuo exhibebunt, qui viatorem a latronibus nudatum, afflictum, exulceratum, in media via humi jacentem, præterierunt, quem Samaritano curandum relinquerent.

Illi, nomine quidem Curiæ Romanæ Ministri, re autem vera aliorum Ministrorum cupidissimi servi, detrahant, ut velint implicitam Pio Pontifici benevolentiam, implicitam de renovanda illa Jesu Societate beneficentiam; ne

(*a*) Lucæ 10.

ne tamen tantum sibi artis, ne tantam sibi dicendi, fingendi, simulandi, dissimulandi, mentiendi vim, ac copiam arrogent, ut vel immemorem, vel obcæcatum, vel pertinacem nobis animum in Romano Pontifice obtrudere se posse confidant.

Quis enim, sexcentis Pallaviciniis, sexcentis præterea stipulatoribus, sibi persuadeat, illa in Brevi verba recitata, *in locis quæ ditioni Moschicæ subsunt*, non Pio statim in memoriam reduxisse Catharinam Augustam? Non talem, tantamque Imperatricem sibi Pium mente, ac cogitatione præsentem effinxisse? Non illam sinistra manu Ganganellianum decretum, imposito illo *edicto* suo, nonis illis septembris edito, imposito illo fœderis *articulo quinto*, anno post publice sancito, obruentem; dextera novam novi Jesu Societatis tirocinii formam Polotiæ ædificandi laetiore quodam Majestatis aspectu, oculis propius admoventem videre sibi Pius videretur.

Qua quidem tam Augustæ Imperatricis specie Pio repente objecta, objecto simul ejusdem Catharinæ patrocinio, quod Catholicis omnibus utriusque ritus tam liberaliter, tam munifice tam vere, tamque ex animo fuisset illa professa; quaero fieri ne poterat, quin Pii VI. eximia illa virtus, illa mentis, numquam laudanda satis, magnitudo, illa grati animi fides,

 nullo

nullo vinci, nec superari beneficio a quoquam solita, illi, tacita saltem voluntate, vellet tirocinium concedere? Vellet ejus bonitati in omnes catholicos parem voluntatem erga Jesu Socios Moschuanos referre?

Sed ita fieri potuisse, ut cupiditate N. N. adversus Jesu Socios toto vultu erumpente, studio partium denuo in Augustam, Jesuitarum Patronam, accusato, tantisper acies ingenii in Pio VI. quasi maglinae cujusdam lucis fulgore perstricta, a recordatione, ac memoria tantarum rerum potuerit abduci. Quid! Cum ad illud loci est ventum, ubi dicebatur, *commisit Stanislao delegationem Apostolicam exercendi ordinariam jurisdictionem super regularibus*, ne tum quidem Pii Papæ animum subiret, quam multa bonus ille Mallensis tela ab N. N. manu missa, quam multa jacta ab Imperio Pallavicinii fulmina corpore toto excepisset? Ne tum quidem Pius meminisset, in quam acerbas angustias fuisset ductus Mallensis, cum ab Imperatrice vetaretur, a Nuncio juberetur, a Pallavinio Secretario cogeretur Breve Clementinum, invitis legibus, invitis divis, invitis divinis, humanisque juribus, in Alba Russia Jesu Sociis denunciare? Scilicet nou altius in animum, pectusque Pii antea descendisset illa Mallensis testatio, Romam missa, in qua abire

re se Episcopatu malle testificabatur, quam ut vel in odium Augustæ incurreret si Breve denunciaret; vel in offensionem Romanæ Aulæ incideret, si denunciare nollet. (*a*)

§. XXVIII.

Ex norma, & clausula Brevis constat, Pium tacita voluntate tirones Jesu Socios allegi voluisse.

VErum jam oratio mea ad clausulam Piani decreti properat, in qua Pii voluntas, pro tirocinio Jesu Sociis indulgendo, si non verba, rebus quidem constitutis, multo luculentius appareat. *Quibuscumque, ait, in contrarium non obstantibus*. Quibus non obstantibus? Brevibus, Decretis, Rescriptis, Mandatis, Edictis Pontificum prius vulgatis.

Quæro Cum tam ample decernebat Pius, cum Delegatum ad canones duntaxat Sacros Sanctionesque tridentinas, in illa vicaria Potestate Apostolica adigebat, num in Alba Russia ignorabat obstitisse Mallensi quominus illis

(*a*) S. Bernardus ad Innocentium II. Epiſt. 318. ſimile exemplum affert in Archiepiſcopo Mediolanenſi: „ Auguſtæ, ajebat, ſunt illi undique; niſi quod tolerabilius judicat ſibi eſſe ſine populo, quam ſine Domino ſuo, pluris habens, ut dignum eſt, Apoſtolicam gratiam, quam Mediolanensem Cathedram.

Jesu Sociis tirocinium ad arbitrium Augustæ gratificaretur, Breve Clementis XIV. de illo Ordine religioso supprimendo? Ignorabat, obstitisse jussa ab Aula Pontificia, Pontificis nomine Mallensi, non sine terrore, minisque, per Nuncium inculcata? Si id totum Pius ignorasse fingitur, jam, ejus nomine in præcipiendo abusam Aulam fuisse Pontificiam, a nobis non fingetur.

Sin' ille nihil horum, id quod nemo dubitat, ignorabat, jam Pius reipsa Brevi Clementino, in ea quidem clausula, qua Mallensem sibi vicarium sufficiebat Apostolicum, in Alba Russia derogabat. Jam Pius re quidem vera, etiamsi vel temporis causa, vel Æconomiæ Pontificiæ gratia, tirocinium non nominasset; tirocinii instituendi amplissimam facultatem Delegato suo tribuebat.

Fac enim revera noluisse Pium, invita tamen Imperatrice, reclamante quam maxime Catharina, testificante Episcopo Mallensi, datum sibi ab Augusta mandatum, tirocinium Jesu Sociis in Alba Russia aperiri. Non oportuisset, excipi nominatim ab amplissima delegatione tirocinium? Non oportuisset, Mallensem Brevi Clementino de abolenda Jesu Societate conceptis verbis astringi? Non oportuisset, Delegatum ad jussa, per Nuncium ipsi data,

adi-

adigi? Quasi vero non constare debuisset Pontifici, Delegatum, nullis in Brevi Pontificio coercitum finibus, ad arbitrium Augustæ potestate amplissima fuisse usurum; qua, cum libere sibi per Pium liceret, Novitios esset sine dubitatione Jesu Sociis in Alba Russia, jubente Augusta, daturus?

Et dubitabimus Pium tacite voluisse, implicita voluntate consensisse, in Alba Russia non modo persistere in eodem, quo erat, statu Jesu Societatem; verum eo decreto cavisse, ne, sine subcrescente tironum sobole, religiosa illa familia in Alba Russia ad breve temporis spatium esse desineret?

§. XXIX.

Res *tota a Cardinali* N. N. *lepide notata*.

Hoc vero totum, de Pii VI. germana erga illos Jesu Socios voluntate, latenter, pro conditione temporum, sub amplissimæ, ac solutissimæ Delegationis facultate concessa, nemo melius, quam Romæ Majorum, ut ita dicam, gentium Purpuratus Pater N. N. intelligebat.

In familiari enim quodam sermone, recenti nuucio de Jesuitarum tirocinio Moschuano, non nulli eorum, qui Cardinali illi, observantiæ causa aderant, in omne Jesu Societatis nomen infesti, conviciis, probris, maledictis absentem Delegatum diris suis, idest, Romanis, devovere. Qui datus illi Jesu Societati ab Aula quidem Romana vel honorarius pollinctor, vel arbiter libitinarius fuisset, eum repente factum Æsculapium novum dicere, & pæoniis quasi quibusdam pharmacis, in novo illo tirocinio, sospitatorem Jesu Societatis fuisse. Cur non ab ipso Jove Capitolino repetito fulmine, & Sospitator Societatis, & sospes ipsa Societas, & novitia tota domus, una cum illo Jesuitarum Seminario, continuo conflagraret? An non tibi, Purpurate Pater, indignissimum facinus a Mallensi admissum videtur? Ille interea male salsus ridere in turba furentium silere, naso tacito omnes suspendere. . . .

Denique ab omni illo thiaso impetitus potius, quam rogatus, Cardinalis quærere, utrum Delegato data esset Romæ in omnes religiosos ordines moschuanos amplissima illa evellendi, & plantandi, evertendi, & ædificandi sine exceptione auctoritas; an non?

Datum quidem certe Breve, ipsum loqui, respondebatur. Non ergo, ajebat Pater purpuratus,

ratus, improbus est dicendus Delegatus, si jure sit usus Romæ dato. Isti Romanæ Curiæ istius Brevis operarii ebrii potius sint habendi, si cum venenum vellent, antidotum Jesu Sociis in Alba Russia præsentissimum dederunt. (*a*)

Hic, reliquis tantisper mutis; unus paulo magis facetus; Equidem qua diei hora compositum Breve fuerit exquiram; Utrum hora tertia ab epoto cocolato, an diei nona ab lautiore prandio & nectare Malacensi? Sic furor omnis, excitato omnibus risu, visus est quiescere.

§. XXX.

In Alba Russia Delegatus Apostolicus, pro potestate edicit, tirocinium Poloticæ a Jesu Sociis aperiendum.

VErum res in Alba Russia, ab Apostolico illo Vicario gestas, ordine prosequamur. Accepto illo Brevi, quod sibi ab Augusta fuisset remissum, una cum mandato de tironibus Jesu Societati conscribendis, causa deinde tota cum prudentissimis hominibus agitata, de quo rum

(*a*) Ex Colect. generali Manum. Epist. 2. ad March. pag. 27.

sententia sibi licere constaret, se & per Pii facultatem posse, & per Augustæ Imperium debere, & per causæ totius æquitatem oportere, tirocinium Jesu Sociis in Alba Russia religiosis Viris fidei suæ commissis aperire, ipsomet die, Principibus Apostolis Petro, & Paulo in Ecclesia Sacro, convocato Collegio Canonicorum suorum Mohiloviæ, Pii Decretum amplissimæ auctoritatis, quo Delegatus fieret Apostolicus, palam recitandum, omnibus illis plaudentibus, jubebat.

A quo recitato, ipse jam salutatus Vicarius Apostolicus, de Presbyterii sui sententia edictum, de Tirocinio Polotiæ in Societate Jesu novis Candidatis instituendo, præponebat hujusmodi.

§. XXXI.

Pastorales Delegati Apostolici litteræ & Pii VI. Rescriptum.

In Imperio Catharinæ II. Imperatricis & Autocratoris totius Russiæ &c. &c.

Dominæ Nostræ Clementissimæ.

STanislaus Siestrzenicevvicz a Bottusz, Miseratione divina Episcopus Albæ Russiæ

Dele-

Delegatus Apostolicus Eques Insignium Polonorum in Aquilæ Albæ, & Divi Stanislai.

Venerabili Clero Sæculari, & Regulari; Gregi quoque nostro Romano latino catholico per universum Imperium.

SALUTEM, ET BENEDICTIONEM.

Cum tantum fuerit celeberrimæ memoriæ Clementis Papæ XIV. studium gratificandi Augustissimæ Russorum Imperatrici Dominæ Nostræ Clementissimæ, ut Majestatis suæ causa Bullam, quæ incipit *Dominus, ac Redemptor noster* „ in Imperii ipsius ditionibus executioni mandare omiserit; Neque minus emineat SSmi Domini Nostri feliciter regnantis Pii Papæ VI. erga eandem Imperatoriam Majestatem desideriis ipsius obsecundandi voluntas, in non prohibendo, ut Clerici Regulares Societatis Jesu, non oabstante memorata Bulla, in Regionibus Majestatis suæ, statum, habitum, & nomen retineant. Nos, qui eidem Augustissimæ Imperatrici Dominæ Nostræ Clementissimæ, & tot Ecclesiarum in vastissimo suo Imperio Catholicorum nomine, & nostro tantum debemus, ore, scripto, nobis Mandanti, ut Supradictos Clericos Regulares Societatis Jesu nostris, quibus possumus, favoribus

 prose-

prosequamur, præterea ut continuatæ eorum existentiæ prospiciamus; committere sane non possumus, ut in re, quæ nostræ facultatatis sit, debitum nostrum, & gratum officium, desit. Et siquidem in his Regionibus non habebatur hactenus tirocinium, cum deficiente sensim eorumdem numero, exercendis in utilitatem Civium suis Ministeriis reddi eos impares compertum sit, ad impertiendam eis facultatem recipiendorum Novitiorum animum convertimus.

Hoc fine Sanctæ Missæ Sacrificio in festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli peracto, eorumque intercessione pro impetranda cælesti illuminatione exorata, consilio nostrorum Canonicorum Albæ Russiæ in Capitulum coactorum, audito, iterum, iterumque legimus Decretum SSmi Domini Nostri Pii Papæ VI. die 9. Augusti 1778. latum plenissime autem, & sine ulla restrictione annuente Augustissima Imperatrice Domina Nostra hoc ineunte anno 2. Martii publicatum, cujus tenor est talis "

Ex Audientia SSmi habita die 9. Augusti 1778.

SSmus Dnus noster Pius divina Providentia Papa VI., referente me infrascripto Sacræ Congregationis de Propaganda fide Secretario, ad

ad conservandam, tuendamque regularem observantiam in locis, quæ Moschicæ Ditioni subsunt, benigne commisit ad triennium Reverendissimo Patri Domino Stanislao Siestrenczevvicz Episcopo Mallensi in Alba Russia facultatem exercendi ordinatiam Jurisdictionem super Regularibus existentibus in iis Diœcesium partibus, quæ ipsius Regimini commissæ sunt, ita ut vigore Pontificiæ hujus concessionis, idem Præsul, vel per se ipsum, vel per alios viros probos & idoneos, Regularia tam virorum, quam Mulierum Monasteria, Prioratus, ac Præposituras *quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium*, nec non Hospitalia, etiam exempta, & Sedi Apostolicæ immediate subjecta, & quocumque alio privilegio suffulta, eorumque Capitula, Conventus, Universitates, Collegia, & Personas, quoties sibi videbitur juxta Sacros Canones, ac Decreta Concilii Tridentini, Apostolica auctoritate visitare possit, ac valleat, & in illorum statum, formam, regulas, Instituta, regimen, & Consuetudines, Vitam, mores, ritus, disciplinam tam conjunctim, quam divisim, ac tam in capite quam in membris diligenter inquirere, & quoties Ipse Apostolicæ doctrinæ Sacrorum Canonum, & Conciliorum Generalium decretis, ac Sanctorum Patrum traditionibus, & Institutis inhærens, ac

 prout

prout occasio, rerumque qualitas exegerit, aliquid mutatione, correctione, revocatione, renovatione, atque etiam in integro editione indigere cognoverit; reformare, mutare, corrigere, ac de novo condere valeat, Condita Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis non repugnantia confirmare, publicare, & executioni mandare, abusus quoscumque tollere, regulas, constitutiones, observationes, & ecclesiasticam disciplinam ubicumque illæ exciderint, modis congruis restituere, & redintegrare, Ipsasque Regulares Personas etiam exemptas, & privilegiatas male viventes, seu relaxatas, aut ab illorum institutis deviantes, sive alias quomodolibet delinquentes diligenter inquirere, emendare, coercere, punire, atque ad debitum, & honestum vitae modum revocare, prout justitia suaserit, & ordo dictaverit rationis; & quidquid inde statuerit, & ordinaverit, tanquam ab Apostolica Sede statutum sedulo observari faciat, *quibuscumque in c ntrarium non obstantibus*.

Datum Romæ ex Ædibus dictæ Congregationis die 15. Augusti 1778.

Stephanus Borgia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarius (L. S.)

Pro hac igitur nostra uti super omnes Regulares per Imperium Russiacum, ita & super Cle-

Clericos Societatis Jesu ordinaria jurisdictione, & potestate, permoventibus Nos ad id causis gravissimis, Nos memoratis Clericis Regularibus Societatis Jesu facultatem instituendi Tyrocinii, & recipiendi in suam Societatem Novitios in Domino indulgemus, simulque Pastoralem ipsisnostram Benedictionem impertimur.

Id quod ut ad notitiam omnium, qui Ovile Nostrum constituunt, perveniat, praesentes litteras nostras tribus successivis primis in Mense diebus Dominicis in Concione Populi ex Suggestu legi, patrio idiomate succinctim exponi, ad Ecclesiarum valvas affigi, & a Rectoribus de receptione earum ad nos referre mandamus.

Datum Mohiloviae ad Boristhenem in ordinaria nostra Residentia postridie Festi SS. Apostolorum Petri, & Pauli anno 1779.

STANISLAUS EPISCOPUS. (L. S.)

PRaesens transuptum typis impressum cum suis originalibus litteris concordare attestor. Et in praemissorum fidem sigillum appono, & manu propria subscribo. Datum ut supra.

(L. S. Ignatius Manugievvicz Publicus sacra auctoritate Apostolica, & Consistorii Albae Russiae Notarius Imperialis.

Ita

Ita Mohiloviæ indicto tyrocinio ab Apoſtolica Ordinum Religioſorum in Imperio Moſchoviticho, illi ab Ignatio, Jeſu Socii religioſiſſimi die ipſo, Conditori ſuo Sanctiſſimo Sacro, pridie Kalendas Sextiles tyrocinium Polotiæ novis Societatis petitoribus denuo aperiebant, quod annos ſex totos fuerat omnibus occluſum. Quod illi immortale beneficium cum debere ſe maxime Catharinæ Imperatrici Auguſtæ patronæ ſuæ incomparabili, ac benificentiſſimæ *Dominæ viderent, grati animi monumentum pro foribus ipſius Tyrocinii Polotiæ in hæc verba incidebant.*

Auguſtiſſimæ Ruſſiarum Imperatrici
Multarum Orbis Provinciarum Dominatrici,
Turcarum Expugnatrici,
Sub cujus auſpiciis integra, & illæſa remanet
In ſuis privilegiis, & juribus.
Societas Jeſu
D. D. D.

QUa re tota in omnes Europæ Provincias celerrime a fama divulgata, brevi factum eſt, ut viginti Alumni in e tyrocinio numerarentur, quo ex aliena ditione nonnulli Germani, Poloni, Itali, alii Religioſi illius Inſtituti petitores, conveniebant, ii potiſſimum, qui

qui ante sexennium ejusdem Societatis novitii, ab illo portu salutis ad sæculi tempestates per vim fuissent a Ganganellio rejecti.

§. XXXII.

Nuncius ab N. N. missus de Tyrocinio rationes omnes Curiæ Romanæ Ministris perturbat.

ET de re quidem tota Tabellarius cum a Varsaviensi Nuncio, Romam maximis itineribus pervenisset, ita animos primorum in Jesu Societatem conjuratorum hostium perculisse dicebatur, ut potentiore fulmine ab Apostolico Delegato icti, quam quo fuissent a Ganganellio sex ante annis omnes Jesu Socii petiti; sic vivere videbantur, ut vitæ ipsi per dies aliquot essent propriæ inscii.

Initio quidem vix quicquam inter se mussitare; paulo post, quid illud monstri essent, una quærere; quibus demum intemperiis Mallensem agitari! Illum Mallensem, vindicem; & ultorem Jesuitarum Schismaticorum sese pollicitum; illum Delegatum Apostolicum ab illius odio, in Jesuitas Romae credito, dictum tam turpiter praevaricatum! Mallensem pro extinctore sperato evasisse denuo Jesu Societatis

tis

tis certum conditorem! Quo Brevi, tanquam gladio reliquias illas jugulare debuisset, eo veluti scuto Pontificio, Jesu Societatem ab omnibus Regum, Curiarum, Aulicorum, etiam Romanorum, telis. in perpetuum Mallensem vindicasse? Num quod remedium tanto inveniri posse malo?

Cum ita abjecti Romae Perditores Societatis dies nonnullos inter se conquesti fuissent, rem silentio premere idcirco constituunt, quod sperarent fieri ipsorum opera posse, ut nomine Pontificis a se acerrime castigatus per litteras Apostolicas Vicarius, tam propere novo edicto tirocinium esset occlusurus, ut eodem tempore rumor, & aperti, & occlusi tyrocinii esset Europam totam occupaturus: quo facillime fieret, ut ipsi prioris edicti fidem omnem vel elevare, vel certe obscurare litteris, sermonibus, næniis, calumniis possent.

§. XXXIII.

Ministri Romæ rem initio occultandam Vulgo constituunt.

HIc facile apparuit, quam soleat luminibus ingenii, etiam in altis, & magnis viris, cæca animorum cupiditas officere. Eos non vidis-

vidiſse, omnino fieri non poſse, ut fama, quæ non aliud neque bonum, neque malum velocius ullum, natura dedit mortalibus, non illico, non repente, non celerrime tantae rei notitiam per omnes, non dicam, regiones, & Provincias; verum etiam urbes, vicos, domos, aures etiam ſingulorum, ſpargeret?

Qui rurſus ab iis ſperari poſset, ut Apoſtolicus ille Vicarius, qui in ipſo Imperio Moschuano, non ita longe ab illo Imperatorio Comitatu, diſſitus, vel Imperio, vel obſequio, vel timore adductus Petropolitanæ potius, quam Romanæ Aulæ, morem gerendum ſibi conſtituiſset; idem novam ſibi ab Auguſta offenſionem, revocando priore edicto, arceſſeret ſcilicet ne ſterilem Aulicorum Romanorum, ac leviorem gratiam, pènitus ammitteret?

Illud certe interea, dum Roma in *Delegatum Apoſtolicum & juſſa nova*, *& imperia*, & terrores, & minae, & intentatae diræ dimitterentur, per omnes paſſim urbes accidebat, ut ſibi quiſque alium in vicis obviam haberet, cum his primis vocibus appellaret: *Heus tu, neſcis quid demum novi? De tyrocinio Jeſu Societatis, dicis? Hoc ipſum inquam, & novi hercle, & factum, ita me Divi ament, gaudeo. Illa eſt una demum digna Imperio, digna auguſto*

K *ſuo*

ſuo nomine Imperatrix Catharina? Oh bone tu! Viden'. *Eſt Deus in Iſræl. Emerſit demum veritas calumnia Adverſariorum patet.* Hic erat unus plerorumque ſermo bonorum quidem certe omnium, qui ab illo Europæ Angulo extremo, ab illa Jeſu Societate, & ſalva, & novo delectu aucta, ſibi redivivos in ſuis quiſque urbibus, Jeſu Socios pollicebantur.

§. XXXIV.

Calumniis in Jeſu Socios, & terroribus Mallenſi inferendis, rem diſturbare conantur.

ERgo cum ſibi parum, aut omnino nihil, ſuccedere illa minarum via, quas primo Delegato intenderant Apoſtolico, Romæ Jeſuitarum oſores ſentirent, alia ſibi aggrediendum rati, tria apud ſe conſtituunt.

Primum, ut omni calumniarum genere illos Jeſu Socios, Apoſtolici Delegati auctoritate religioſos publicè declaratos, pro ſeditioſis, pro contumacibus, pro perfidis, pro refractariis, nigerrimo ſchiſmatis nomine per Europæ totius aures nefarie traducant.

Alterum, ut ab illis Europae Regiis Miniſtris, quorum odio Jeſu Societatem devoviſ-

ſent

sent querimoniae Petropolim acerbiſsimae adversus Delegatum Apostolicum, tanquam non concessæ sibi potestatis usurpatorem audacissimum, deferrentur.

Tertium: ut novi terrores, novae minae novae ignominiarum omnium denunciationes, Mallensi Episcopo a Vaticano etiam fulmina intentarentur.

Quæ quidem Aulicorum Romanorum artes eo spectare videbantur, ut vel victa terroribus satellitum, & scribarum regiorum Augusta, nullis ante pillis in bello perterrita a proposito consilio tuendae Jesu Societatis decederet vel delegatus veniam tirocinio datam, novo edicto non nolente penitus Imperatrice, revocaret.

At ne cui videar, calumnias partim in Jesu Socios, partim in Apostolicum etiam Albae Russiæ Vicarium, confictas calumniose velle redarguere, certo ordine monumenta omnia, quae hujus esse causae videbuntur, primum ea scripta, quæ Roma in Albam Russiam, deinde ea quæ ab aliis Regum Aulis Petropolim fuere missa, paulo post recitabo.

Et ab Aula quidem Romana bini potissimum Auctores nobiles in causa versati fuere: alter ille Pallavicinius, Secretarius politicus, Imperio Pontificio Praefectus, qui & ipse litteras

Encyclicas circum omnes Nuncios ea in causa scripsit, & per Oratorem Romae Polonia num, Regem Poloniæ rogandum curavit, ut apud Augustam Catharinam, pro se eam causam adversus Vicarium in Alba Russia Pontificium, diligentissime agendam susciperet: alter Nuncius Varsaviæ, qui a Pallavicinio jussus, & litteras ad Delegatum Apostolicum dedit acerrimas, & commentario, sive libello, Moschuanum legatum Varsaviæ eadem de re convenit.

§. XXXV.

Mirum initio Visum Rem eam Jurisdictionis Ecclesiasticæ Pallavicinio, reipublicæ Ministro, esse commissam.

PRius vero, quam Romana ista scripta (nam de Regiis eadem de re litteris, ad extremum verba faciam) in medium proferam; non nihil mihi de genere toto ipsorummet scriptorum prævertendum hoc loco existimo, non tam ut animi judicium mei, quam ut communem de causa tota vel opinionem, vel potius suspicionem, bono in lumine proponam.

Primum omnium, quod hujusmodi scripta jussu dicerentur Pontificio emissa, statim res tota ab iis suspecta cœpit haberi, qui Roma-

nae

næ Curiæ periti, in qua sic Praefecturæ duo sint genera divisae, ut sint partim *politicæ*, partim *Ecclesiasticæ*, intelligere se satis posse negabant, cur actio illius causae Pallavicinio data esset, ei potissimum Secretario, qui solis esset profanis in ditione Romana muniis praepositus; non potius tota ad eos praefectos rejiceretur, quorum in congregationibus Religiosis, de *Propaganda*, *Episcoporum*, *Regularium*, *Concilii*, *Sancti Officii*, & si quae sunt aliae sacrae, esset de jurisdictione Ecclesiastica, de jure spirituali, de censura morum, propria cognitio, atque judicium peculiare. Qui enim conveniret, ut in creando Apostolico Delegato re tota fuisset Congregstioni de Propaganda recte, atque ordine, tanquam causa juris unius Ecclesiastici, ac religiosi, paulo ante commissa, in eodem vero Apostolico Vicario, qui potestate diceretur spirituali erga Jesu Socios abusus, reprendendo, notando, coercendo, circumscribendo, jus totum ad Pallavicinium, Secularium rerum jurisdictione in ditioni Pontificia præpositum, præter ordinem, mores instituta, nunc demum rediret?

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Suspicati sunt omnes, eam causam non Ecclesiasticam, sed Civilem a Pio fuisse habitam.

Quæ sane suspicio tantum apud omnes initio valebat, ut alio tunc Romæ Pontifice, non illo ipso Pio, & vigilantissimo, & acerrimo, & assiduo in rebus omnibus agendis cognitore, plerique omnes in eam fuissent opinionem facile ituri, Pallavicinium sibi non sua judicia, non sui fori jura, arrogare non dubitavisse. Nunc vero moti ea ratione agendi, quæ latere Sapientiam Pii maximam omnino non posse videretur, ferme homines Romæ sibi persuasum habebant, in tota ea causa partes, non Pontificis maximi, sed Principis Supremi per Pallavicinium vollente Pio, agi: atque in eo quidem consilio agendi per illum, rei non Ecclesiasticæ, sed Principatus Ministrum, non Sacerdotii, sed Imperii Vicarium Magistratum, multa sequutum, tam sapientem Ecclesiæ Catholicæ Moderatorem, Pium conjiciebant.

Primum enim cum Pii judicio, nihil in Imperio Moschuano Apostolicus ille Vicarius peccasset, in quo ultra jus ipsi concessum fuisset pro-

progressus, voluisse Pium, opinabantur, omnibus ea ratione ostendere, idcirco sibi non fecisse satis Delegati Apostolici sui Acta illa in Alba Russia, non quo non essent a concessa jurisdictione profecta, sed quod sua omnis Imperii Civilis ratio iis Vicarii Apostolici Actis, quamvis per se legitimis, in maximam offensionem incurisset apud quosdam Regum nonnullorum Aulicos, quorum odium in Jesu Socios usque ad ultimam internecionem, sine ulla usquam gentium spe salutis, barbaro quodam modo exarsisset.

Ex hoc vero uno Pii judicio, quis non aperte intelligat, vanas esse omnino omnes criminationes, quibus ille Mallensis Episcopus male sibi arrogatæ, atque adeo lesæ Majestatis Pontificiæ ageretur reus; illi Jesu Socii, legitimo etiam Vicario Apostolico obsequuti, dissidii, atque schismatis affines a malevolis, a partis contrariae sectatoribus cupidissimis, notarentur? Nec enim, si perturbatæ erant eo Mallensis facto rei politicae rationes inditione Ecclesiastica continuo non habuerat eam potestatem Apostolicam Delegatus, qua in tyrocinio usus esset; continuo Jesu Socii obsequii, fidem, Romano Pontifici debitam, non sequebantur.

Deinde quod illud negotium Pallavicinio potissimum

tissimum committeretur, illud omnes ferme colligebant, eam fuisse Pii prudentissimam veluti cautionem, qua provideret, ne ipse Pallavicinius in scriptis illis suis, neve Nuncius in litteris jussu Pallavicinii ad Malensem scribendis, in commentario, etiam Pontificis nomine, Varsaviensi Russorum legato exhibendo sibi partes alias, quam civilis, quam politici quam Principalis, jurisdictionis commissas, existimarent; ac nihil sibi juris Pontificii, nihil religiosæ suæ potestatis, nihil auctoritatis Sacrosanctæ sibi asciscerent. Nec enim illos, in re, in Aula in foro Ecclesiastico Romæ tandiu versatos ignorare posse censebat Pius ubi divini juris aliquid, ubi Pontificiæ auctoritatis ratio, pro jure Summi Secerdotii, non pro jure civilis Imperii agatur, ibi nihil ad *Secretarium Status*, ut vocant, nihil ad Ministrum politicum, attinere.

§. XXXVII.

Pallavicinius in re, ac causa pure civili abusus fuit formulis, in re religiosa solitis adhiberi a Curia Pontificia.

Quibus docti argumentis ferme homines existimare postea in ea causa cœperunt pa-

parum Pii mentem, parum concilii prudentiam & Pallavicinium & N. N. assequutos fuisse, aut certe non nimis sequi voluisse in litteris suis, dum non satis formulas Imperii Romani, a formulis Sacerdotii Maximi sejungebant. Multa enim in eorum scriptis esse, quæ cum ex Persona Principis, oportuisset, civilem in modum exprimi, ex Persona Pontificis pro plenitudine potestatis, sacrum quasi ad carmen decantata fuissent. Quod totum nihil sit mirum fortasse, iis Ministris contigisse Romanis, qui sese totos voluntati, totos odio inimicorum Jesu Societatis addixisse, tam sæpe tam palam, antea ostendissent.

Quin etiam ille ipse Pallavicinius, præter suam animi sententiam opinor, in ipsa epistola encyclica, quam nos integram paulo post exscribemus, eam suspicionem, quam antea dicebamus, nihil acta Mallensis læsisse jura Sacerdotii, sed incommodasse unius Imperii Romani politicis rationibus, manifeste confirmabat. Ibi cum Pallavicinius sibi proposuisset, omnibus planum facere, Mallensem Delegatum Apostolicum, non concessa abusum fuisse potestate in causa Jesu Sociorum; *Hic ajebat, eventus* (aperti scilicet tyrocinii) *Summum Pontificem haud mediocriter anxit, atque implicuit.*

L Itane

Itane vero? Vulgo dicebant, ille eventus, illa actio Mallensis sine ullo jure, sine ulla venia, sine ulla facultate Pontificia, ab illo in Alba Russia, ut a te, Pallavicini, dicitur, suscepta, Pontificem maximum implicuit? Pium VI. insigni magnitudine, & ingenii, & animi, & consilii anxit, atque conturbavit? Quid ita? Dic clarius, Pallavicini? Si læsam Majestatem Pontificiam, in abusu non datæ potestatis, a Vicario suo Pius dolebat, si ea una culpa erat, quam in Delegato reprehendebat, si ea res sola agebatur, nihil erat sane, cur ad angorem, cur ad inopiam consilii tantus Pontifex adductus fuisse diceretur.

Do peccasse Mallensem, do ampliorem, quam quantam Pius largitus esset, jurisdictionem sibi arrogasse: Quid tanti discriminis, quid tanti angoris, quid tantæ perturbationis in eo esse posset? An non licuisset Pio, brevibus litteris & malo facto Mallensis, & juri suo læso, & dolori animi præsenti, præsentissimam medicinam facere? Ille vero tot angores, tot perturbatas rationes, si ab uno potestatis non legitimo usu erant profectæ, hoc Brevi dispulisset. Lubet enim tantisper Pontificem Maximum imitari.

„ *Venerabilis Frater. Monitum te volumus abusum Te fuisse potestate in instituendo isto*

sy-

tyrocinio, nunquam Tibi neque a jure, a nobis concessa. Acta a Te in isto negotio nulla, atque irrita fuisse Tibi confirmamus. Hortamur Te in Domino, Ven. Frater, ut quam fieri celerrime possit, Acta ista rescindas, quo non facto, æternæ saluti tuæ omnino non prospicies. "

Cur remedium, & efficax, & in medio positum Pontifex non statim Pius adhibuit? Dic quæso, vulgo ajebant, Palavicini? Desine Cœlum cum terra velle miscere; desine jura Pontificatus Maximi, a Mallensi legitime habita, dicere, ab eodem violata. Non hinc illi lacrimæ, non hinc illi angores. Si verum quærimus, tota ejus negotii molestia, qua Pius valde angeretur, ex eo erat profecta, quod cum Mallensis argui jure haud quaquam posset, abusum fuisse potestate non concessa, (extabat enim Breve Pianum, quod eam amplissimam auctoritatem Delegato Mallensi dedisset) tum vero legitimus usus ejus ipsius potestatis ingratissimus, ac maxime acerbus, Ministris quibusdam Regiis accidisset, qui querelis, qui postulatis, qui magnis, nescio quibus, verbis animum Pontificis in angorem non mediocrem adduxissent: cum potissimum Romanæ Curiæ Ministri cum illis, in exacerbando Pontificis animo, assiduo, atque eo acerbissimo, studio conspirarent.

§. XXXVIII.

Ex ratione rei gestæ duo credita: Et Pium non damnasse Mallensem crimine usurpatæ auctoritatis non concessæ & a Ministris rem totam fuisse malitiose exulceratam.

ITaque cum omnium animis ipsa agendæ rei ratio, Secretario Civili Pallavicinio credita, eam, quam dico, suspicionem ingereret, & Mallensem data sibi potestate recte, atque ordine usum; & cum nihil in eo peccasset, tamen hostes in rem Romanam publicam, Regios Ministros valde eum commovisse; tum vero plurimi non verebantur eo progredi, ut, litteras, in eo genere a Pallavicinio, atque N N. tanto cum sonitu, strepituque emissas; dicerent, non voluntate Pii exisse in vulgus munitas, cujus tamen nomen, & signum & personam jactarent, sed totas commatis fuisse adulterati, totas ad arbitrium conspirationis Antijesuiticæ scriptas.

Quod genus dicerent fraudis, non tunc primum sub Pii Pontificis nomine latere Romæ voluisse. Illi enim Sanctissimo Pontifici Pio V. cujus & studio, & æmulatione Pius VI. nomen sibi in Pontificatu ineundo imposuisset,

si-

simile quid doli genus a Ministris admodum fuisse dicebant, ut ipse Pius palam conquestus in hæc verba testificabatur, uti narrat Gregorius XIII. (a) *Multa aliter, atque alio sensu a se probata fuisse, quam in litteris expressæ essent.*

Quod Pio V. duobus ante saeculis, cum mores nondum a pristino candore tantopere deflexissent, accidisset, cur hac nostra memoria tam valde in omne genus malitiae, calumniae criminationis iniquissimae prolapsa, id Pio VI. non sit vero simillimum contigisse?

Dixerat aliquid Pius VI. non ille quidem in Mallensi jurisdictionem reprehendens, sed ortas ex usu legitimo ejus potestatis molestias conquerens. Dixerat fortasse, non ante tam amplam potestatem se Delegato Apostolico implicita voluntate concessurum fuisse, si ex ea tot regiorum Aulicorum, tot romanorum Ministrorum turbas excitandas praevidere merito potuisset.

Quæ verba Pontificis, non in eam in quam oporteret, sed in quam Ministro Pallavicinio potissimum liberet, accepta sententiam, magnam visa sunt illi fenestram aperuisse, ut in litteris ipsius, in litteris N. N., in litteris

Nuncii

(a) In Constit. quæ incipt. In tanta rerum. Edita 1. Maji 1573.

Nuncii, impune posset confirmare, Pium non eam Vicario Apostolico dedisse facultatem implicito animi assensu, qua ille usus, in Alba Russia Jesu Societate Tirones concederet.

Verum, omissis his omnibus argumentis, illa res potissimum malam Pallavicinii fidem, sensa sua Pontifici Pio supponentis, arguebat, quod Oratio ipsa & Epistolæ Encyclicæ, & schedulæ a Pallavicinio ad N. N. missæ, prorsus esset a Pii VI. candore, a Pii simplicitate, a Pii integritate, ac gravitate quam maxime abhorrens, atque aliena. Nam in illo & privato Braschio, & Pontifice Maximo Pio, notus semper, & maxime perspicuus ille character Orationis omnibus fuerat, qui sinceritatis, veritatis, simplicitatis, fidei optimæ notis omnibus esset insignitus.

At in scriptis, a Pallavicinio Pontificis Pii nomine vulgatis, paulo post a nobis in oculis omnium mala fides, quæsitus ex industria dolus latenter calumnia disseminata, artes omnes forensis malitiæ defigentur. Qua de re memini, me non ita pridem egregiam Disertationem legere divinitus scriptam, in qua studia partium ex litteris Pallavicinii, furor invidiæ omnia in pessimam partem per mendacium interpretata, cupiditas hostibus Jesuitici nominis nefariæ vendita, veritas alienæ potentiæ,

gra-

gratiæ, pecuniae addicta, ita apparebat, ut vix, ac ne vix quidem, dubitari liceret, quin librarii (isti, inquam, servi litterati, Purpuratis Patribus operas suas soliti addicere) assiduo memores non quid officio suo, sed quantum ærario, atque auro regio deberent, illas litteras omnes composuissent, quas Sigillo Dominorum suorum darent muniendas. Quod totum Encyclica Pallavicini, a nobis recensita, ipsa per se loquuta contra se palam testificabitur.

§. XXXIX.

Litteræ Encyclicæ illustratæ Animadversionibus.

VEnio jam (id quod paulo ante promittebam) ad litteras illas Encyclicas, ab Aula Romana circum omnes Nuncios suos dimissas, in quibus recitandis nonnullas in infima pagina animadversiones, pro re, & causa subjiciam, quibus palam lectoribus litterarum faciam; quam multa vel fide non admodum bona, vel turpi rerum gestarum ignoratione, vel incondita factorum confusione, vel vitio peccatove memoriæ partim corruperit, partim dissimularit, partim simularit, partim obscurarit

parit, partim vel odio in Jesu Socios, vel cupiditati, & studio erga illorum Inimicos, Encyclicus ille dederit Auctor. Ecce jam litteras recitare ipsas aggredior.

Aulæ Romanæ litterae Encyclichæ ad omnes Nuncios datæ mense Augusti 1779.

PROŒMIUM.

UT Ilustrissima Dominatio tua perfecte, planeque veniat in cognitionem inexpepectati (1) cujusdam eventus, qui magnos sane per universum Orbem Catholicum rumores excitabit, quique Summum Pontificem haud mediocriter anxit, atque implicuit, paulo altius ejus rei narratio mihi repetenda erit.

ENCYCLICÆ

§. I.

CUm effecta fuit Poloniae partitio; Ditioni Russae adjunctae fuerunt pene integræ diœce-

---

Adn. (1) Cur *inespectati eventus*, ideſt, tyrocinii aperti! Quibus inespectatus ille eventus? Non illum Auguſta poſtulabat? Non Pius, votorum Auguſtæ conscius, facultatem ad illum implicita voluntate Delegato dabat? Credo, bonis, & prudentibus non inexpectatus, Pallavicinianæ factioni accidit odiosus.

diœceses Livoniae Smoleski, & pars Diœceseos Vilnae latini ritus Summa repugnantia, qua Catharina II. Augustissima Russiarum omnium Imperatrix, ab admittenda in Imperio suo nativa illa ut ita dicam, Polonorum Episcoporum jurisdictione abhorebat (2) vehementesque ejusdem Supremae Dominae eflagitationes, ut Catholicorum qui multi erant, moderatio, & cura in uno latino Romano Pastore in perpetuum stabiliretur, Pontificem,

M quam-

Adnot. 2.) Qui hæc verba legat, ſic abrupte scripta, ſibi ſtatim persuadeat, Imperatricem & odio, & horrore Nationis Polonianæ, efflagitaſse paulo insolentius a Pontifice Maximo, ne quis gente Polonus fieret in Alba Ruſſia Episcopus. Non ea vero mens Auguſtæ. Illa poſtularet, Diœceses suas in nova Albæ Ruſſiæ Provincia, suum quemque habere, & proprium Episcopum. Nolebat eas scilicet ab Episcopis ſuffraganeis, ſive Chorepiseopis, qnos alius Episcopus ſibi ſubſtitniſset, regi. Is tamen, qnos ibi reperiſset, Episcopis etiam Polonis, eam optionem dabat, abdicare ne sese Episcopatu earum diœceſium, an ibidem in Alba Ruſſia reſidere mallent? Maluit Vilnenſis Episcopus Ignatius Maſsalkius; cui antea suberat Alba Ruſſia, carere ea Albæ Ruſſiæ Eccleſia, quam in Alba Ruſſia reſidere: quo factum eſt, ut Mallenſis ipse gente, Patria, Polonus, (Zablodoriæ in diœceſi Vilnenſi natus) ab Imperatrice Episcopus nominaretur (v. hic Epiſt. Imperatricis ad Pinm VI. cujus initium eſt. *Notum* eſt pag. 242.) Ubi nunc Imperatricis horror ab admittenda Polonorum Episcoporum jurisdictione? Scriptor litterarum Encyclicarum mala fide invidiam Imperatrici apud Polonos quærere videbatur. Factum vero non male, quod non Jesuitis horror Imperatricis ascriberetur auctoribus.

quamquam invitum (3) impulerunt, ut ad id gravissimi muneris, quod multum prudentiae consiliique requirebat, deligeret Dominum Stanislaum Siestrencevvicz Episcopum Mallensem qui & Episcopus Albae Russiae fuit renunciatus. Obsequium, & observantia, quam commemoratus Praesul Stanislaus erga Congregationem de Propaganda, & Nuncium Pontificium Varsaviae commemorantem, ostendit, Pontificem in spem adduxit, fore, ut ipse commisso sibi muneri & fiduciae in se collocatae, constanter, studioseque satisfaceret.

§. II. ENCYCLICÆ.

Atque ille reipsa nihil *cunctatus* fuit per eundem Nuncium Varsaviensem diligenter Pontificem docere de gravi (4) sollecitudine, ac

Adn. 3.) Sensus ipse litterarum præseferre hoc videtur, ut, & Pius ipse elegisse, & invitiſſimus illum Ssanislaum Episcopum elegisse credatur. In quo & falsum ſimulat Scriptor Edcyclicus, & verum dissimulare vellet nec tamen diſſimulat. Pius enim Episcopum non elegit, sed quem unum Stanislaum illum Auguſta, pro jure *Patronæ & Conditricis* Episcopatus Mihiloviensis, Pio proposuit. Pius confirmavit.

Atque idem Pius minime invitus probavit, opinor, eum Episcopum, qui obsequium, & observantiam erga Congregatione de Propaganda, & *Nuncium Pontificium oſtendisset*.

Adn 4.) Cum paſſim mala fides in Encyclica irrepſit, tum in

ac molestia, quam capiebat ex Jesuitarum in Alba Russia commoratione, qui eo prætextu quod Pontificium de abolenda Societate decre-

---

In his maxime verbis una cum calumnia, fraus, & dolus latere voluisse videtur. In ea causa hæc fuerant, ut ante eſt a me diſtinctius expoſitum, Mallenſis nulla pervicacia Jesu Sociorum impeditus, importunitate Nuncii, quem Pallavicinius currentem, ut ajunt, ad Jesu Societatis reliquias funditus extirpandas excitaret, impenſius jussus, atque adeo Imperio actus, dirisque quaſi minis tantum non coactus, ut contra fidem conscientiæ suæ Breve Ganganellianum aut illis Jesu Sociis denunciaret, aut eos a miniſteriis sacris arceret, (quorum neutrum Mallenſis nec ſibi facere licere, nec in rem ejus Eccleſiæ esse, ut a quoquam fieret, judicabat) litteras Romam idem scripserat quibus animi sui & mærorem, & conſilii inopiam, ſibi a Nuncio partam, nunciabat. Ita res, ut dicebam geſta fuerat. At quis ex his verbis *nihil cunctatus* fuit.... quam capiebat ex Jesuitarum in Alba Ruſſia commoratione, qui eo prætextu... secundum aboliti Inſtituti leges... Quæro inquam, quis ex illis verbis non ſtatim colligat, ab ipſis Jesuitis partam Mallenſi fuisses moleſtiam? Miseram illorum Jesu Sociorum conditionem? Illi ab Auguſta per litteras poſtularunt, ut bona ejus venia ſibi Breve per Mallensem, cui negotium ea de causa Nuncius facesseret, indici liceret quod negaverat Imperatrix. Illi sponte sua ſeſe obtulerunt Episcopo, ut ex ejus ore audirent, ſi quid ſibi ab illo, jubente Pontifice Romano, denunciandum esset. Nihil Episcopus iis denunciarat. illi Romam ternas ad Aulam Pontificiam litteras scripserunt, quibus sese ad obsequium promptos oſtenderent, ubi primum ſibi per Imperatricis veniam licuiſset, funus illud, e Brevi Ganganelliano edici: velle sese exemplo aliorum Jesu Sociorum, qui permissu civilis poteſtatis brevi denunciato ſine mora paruissent Romano Pontifici obtemperare? Nihil Congregatio Quinqueviralis, nihil Pallavicinius, nihil libellorum supplicum Prefectus illis rescripserant, & tamen Encyclicus ille cavillator juſtiſſimam

eam

tum in illis regionibus rite promulgatum non ſit pergebant ut ante vivere, atque agere secundum aboliti Inſtituti leges. Illud etiam addidit

---

eam causam, ideſt Brevis nullam illis denunciationem prætextum ausus eſt appellare! Ubi vero prætextus? ubi ſimulata causa? Nonne ille Scriptor secum ipse pugnare magis, quam contra Jesuitas solitus, in illis ipſis litteris oſtendit, Imperatricem Societatis ſuppreſſionem in sua ditione permittere omnino noluisse? An vero prætextum illud vocabat, ſi, nondum denunciato Jesuitis Brevi, non ipſi ultro, non sponte sua non contra jura omnia, non contra Imperium Imperatricis, vivere religiose deſinerent? Quaſi vero librarius ille servus, litterarum Encyclicus & venalis Exarator, aut vere nesciret, quid in causa olim vel ſimili, vel plane non diſſimili, actum ab Scholarum Piarum Patribus, actum a bonis Fratribus Valetudinariis fuisset; aut vellet jam videri oblitus, in oppidis Pontificiæ ditionis Jesu Socios & domi, & foris religiosam vitam, & disciplinam tandiu, poſt editum Romæ breve Clementinum tenuisse, quoad illud fuisset illis coram legitime recitatum.

Quid ergo spectabat Aula Romana, diceret aliquis, cum nodum in scirpo, quod ajunt, quærebat; cum in causa & vera, & legitima, omnibus patentiſſima, & ab ipso Episcopo teſtata: non promulgati Brevis in Alba Ruſſia, ſibi pretextum, fingebat? Ego mihi video malitiam auctoris illarum litterarum ex epiſtola Nuncii, de qua paulo poſt dicam, posse exponere. Illi, ajebat ipse secum librarius de conſilio etiam totius thyaſi anti jesuitici; Illi Jesuitæ Ruſſiani in his litteris sunt a me pro *Refractariis* traducendi: eorum Inſtituitum eſt a me appellandum *abolitum*, Quid, ſi vetat, ne illi vere Refractarii, ne eorum corpus in Alba Ruſſia jure dici poſſit abolitum, legitima illa ratio, quod Breve non ſit promulgatum? Eludatur ea ratio, & causa juſtiſſima. Eludatur? Et vero facillime eludetur una scilicet vocula *prætextus*. Hoc maledictum efficiet, ut vel ipsa non indictio Brevis, *imperitorum* judicio, nihil obſtare abolitioni exiſtimetur; vel illa dilatio denunciationis, dolo, arte,

gra-

didit cum Imperatrix Societatis suppreſsionem in sua ditione permittere omnino nolit, & ex alia parte magna ibi penuria sit aliorum Sacerdotum, qui ad spirituale regimen, atque institutionem Catholicorum satis sint idonei in eas se angustias esse conjectum, ut vastam Diœcesim diserere cogatur, nisi Sanctitas sua salutari aliqua temperatione modum præscribe-

gratia, ambitione Jesuitica; *malitioſis* quæſita videatur. Ac ne quis me calumniam calumnia velle repellere suspicetur; extat Epiſtola jussu Imperatricis ab illius Prætore, viro clariſſimo, Comite Czernicevvio, ad Nuncium rescripta, quam nos suo proferemus loco, ex qua malitia totius Conspirationis anti-jesuiticæ ipsa se, velut ex arca sorex, indicio, suo prodidit. Ex epiſtola enim Prætoris Moschuani apparet, Nuncium per litteras Auguſtam comiter rogasse, vellet ne, juberet ve Imperatrix, tyrocinium *Jesu* Sociis inſtitui? Hominis aſtutum conſilium! Cum luce clarius de voluntate Imperatricis ex litteris, & paſtorali ipsa Episcopi Mallenſis ſibi liqueret, fingit, se nescire, quid Auguſta velit. Cur vero Nuncius more Curiæ suæ callide scripſit? Duo ille ſibi, opinor proposuit, & gratiam ab Imperatrice inire, quaſi esset ejus voluntati veliſicaturus, ſi eam velle tyrones Jesu Socios, conscribere sciret, & & colorem aliquem suspicioni malitiose ab Aula romana in litteris Encyclicis quæſitæ quærere, quaſi gratia, ambitione artibus Jesuitarum malis, Petropoli factum esset, ut Imperatrix diceretur, nolle Breve Ganganellianum illis denunciari, cum ipsa rem totam susque, deque habuisset. At ut non omnis fert omnia tellus, ſic non omnes fert omnis Curia fraudes. Illic, quæcumque a suis publice dicitur velle, reipsa vult Imperatrix. Alibi sæpe Princeps nolit, quæ Miniſtri Eum velle dicunt. Id, quod antea expertus Romæ fuerat Nuncius, contra Principis sui sententiam, ejus tamen nomine, humanitatis, & beneficiorum immemor, aut etiam ultor, quæ Stephanuccio Jesu Socio deberet.

beret, quo ipse Societatis hominum opera uti possit.

§. III. ENCYCLICÆ.

HAc Mallensis Episcopi significatione in evidenti manifestoque periculo, cui Albæ Russiæ Catholici objiciebantur, si ipse sedem suam deseruisset; ad eundem a Domino Nuntiio scriptum iterum fuit Pontificio nomine cum Sancta recordationis Clemens XIV. Societatem denominatam Jesu universe suppressisset, (5) pro *refracæariis*, *&* *contumacibus* haben-

Adn. 5.) Multa alibi malitiose, hic omnia mendose, criminatorie, sed fatue tamen, scribebat Scriptor Encyclicus. Narrat nobis, quid Mallenſis de officio suo consulenti, ſit a Nuncio responsum. Quid consuluerat Mallenſis? In hæc verba: *cum Imperatrix Societatis ſuppreſſionem in sua ditione permittere omnino nolit*, quid demum censetis Romanæ Aulæ Præſides mihi faciendum? Ecce tibi responsum, ſi Themidi Romanæ placet, responsum Prudentum. *Cum Clemens XIV. Societatem universe ſuppreſſisset*, *debere Mallensem ipsum etiam eos Jesu Socios monere*, *eisque denunciare eorum Inſtitutum vere*, *&* *rite abolitum eſse*. Quid aliud eſt secum pugnare furiosum Scribam, ſi hoc non eſt? Itane? diceret Mallenſis: Nonne vere & rite abolitos Jesuitas esse ais? Nihil eſt ergo opus Brevi ipſis denunciato ut aboleantur? Si Aula Romana una plaga, uno Brevi Clementino totum Corpus, Inſtitutum, Societatem, nomen Jesuiticum confecit, quid oportet impia manu in mortuos furere? novam plagam Cadaveri in ferre?

bendos esse eos Societatis homines, (6) qui ad Supremæ Pontificiæ auctoritatis jussa se non conformarent: idcirco non oportere ut ipse eorum

---

Adn. 6.) Rursus & furere, & secum pugnare, & ineptire pergit Scriptor litterarum. Nam cum ipse induxisset Mallenſem ſic loquutum per litteras „ quod Pontificium de abolenda Societate decretum in iis regionibus rite promulgatum non ſit, & quod mihi magna penuria ſit aliorum Sacerdotum quæro a vobis Aulæ Romanæ Adminiſtri, licet ne mihi Jesuitarum opera in Miniſteriis uti Sacris? " Videte quid Episcopo respondeatur de salute animarum consulenti. Pro refractariis, & contumacibus habendos esse Societatis homines, idcirco non oportere, ut ipse eorum opera uteretur. Insane blaterator, caput tribus anticyris insanabile, eſt ne is refractarius, cui nihil ſit rite præceptum? Fateris Breve Clementinum non fuisse illis Jesu Sociis edictum; & Jesu Socios contumaces contra Breve appellas? Tanti ne tibi fuit convicii illius, *pro refractariis, & contumacibus*, jacti in Jesu Socios cupiditas, & libido, ut jacturam sensus communis pro illo faceres.

Quis porro non doleat, Scriptorem Encyclicum contra monitum Jesu Chriſti monere ut agat Mallenſis? *Meſſis* ajebat Chriſtus, *multa, operarii autem pauci, rogate dominum Meſsis ut mittat operarios in Messem suam*. Nam Mallenſi de penuria Sacerdotum queſto, quid respondetur ab Aula Romana? *Non oportere ut Jesuitarum opera utatur*. Nihil ad præcipiendum Romæ facilius, nihil Episcopo ad exequendum difficilius. Diceret Mallenſis: Hic mihi eſt opus ad ludum litterarium decem & octo Magiſtris, decem doctoribus graviorum disciplinarum, quindecim Miſſionariis ad sacras expeditiones, ad alia rei chriſtianæ miniſteria, & concionandi, & excipiendi confeſſiones multis aliis. Omnino ſi Jesuitis interdico sacris miniſteriis, Sacerdotes octoginta non malos Operarios in hac Chriſti messe copiosa requiſiero. Eſto Clemens in Brevi illo exitiali, ac funeſto adversus Jesuitas duo promittebat: alterum (§. *Quo vero*:) ſibi certe curæ futurum, ut alii sufficiantur Miniſtri, ne quid res

eorum opera utatur, nisi urgentissima necessitate adductus. Debere ipsum etiam monere, eisque, quotiescumque se daret occasio, denunciare, eorum Institutum vere, & rite abolitum esse, cessasse antiqua privilegia, ipsos instar aliorum Sæcularium Presbyterorum Episcopis plane subjectos esse, præcipue vero, & peculiari studio, atque ardore obstaret, seque opponeret excogitato ipsorum consilio de *novis tyronum domibus*, ubi extinctus Ordo renasceretur, ac revivisceret, cujus rei non nullus ad Italiam quoque rumor jam pervenerat.

§. IV.

Res chriſtiana detrimenti patiatur: alterum in Brevi *Graviſſimis* 13. Auguſti 1773. Si quid impedimenti suboriatur, quominus Breve vim suam obtineat, fore, ut ipse præmonitus aditum Brevi suo muniat. Nihil melius dici, nihil oportunius scribi potuit. Bene quidem se res habet Congregatio illa de Propaganda, pro Jesuitis Sacerdotibus, totidem idoneos præmittat operarios (atque utinam antea semper misisset idoneos! Nihil eſt opus ulcus recens in infami miſſionario hic refricare:) Romanus Pontifex, ad viam Brevi Ganganelliano aperiendam, intercedentem ejus denunciationi Auguſtam, reprimat.

Ego e medio *Jesu* Societatem impune, acriter, celerrime etiam tollam: At ego vaticinor, tot annos Congregatio de Propaganda, non sufficiendis novis Miſſionariis sensim in tot Eccleſiis fidem, a Jesu Sociis plantatam, patitur extirpari. Romanus Pontifex de interceſſione Auguſtæ a me toties certior factus, nunquam ad Carmen, nunquam ad chorum respondet nunquam de tollendo eo impedimento ne verbum quidem unum rescribit. Conviciis inceſſit *Jesu* Socios, me minis iterandis perterrefacit, Jesuitas obediendi cupidos, refractarios, contumaces a suis Aulicis dici impune permittit. Hucusque *Malleniſi*.

§. IV. ENCYCLICÆ.

POntificia mandata, monitaque adeo libenter excepit Mallensis Episcopus, ut non modo Varsaviensi Nuncio per litteras significaverit, se, quod imperatum esset, esse facturum, verum insuper omni asseveratione eidem affirmavit, se eos, qui Russæ rei præsunt, dehortatum fuisse (7) ac demum obtinuisse

---

Adn. 7.) Rursus in calumnia sese dementem, ac fatuum Scriptor Encyclicæ Epiſtolæ prodit. Demus quidem Scriptori Mallensem ipsum per se satis superque a Jesu Societate antea aversum, eos, qui Russæ rei præessent, fuisse dehortatum, ne novos illi corpori tyrones allegerent. Vicerit alienatio, ut fit, ambitionem. Plus odio in Jesuitas Mallenſis, qui libenter dicatur mandata Pontrficia excepisse, quam obsequio dederit erga Imperatricem, a qua fuerat conſilium de novis tyronum domibus, non ab ipſis excogitatum Jesuitis, qui Imperatricem præcib'us ambierant, ut ab antiqnis domibus suis religioſis ſibi per illam liceret abire non religioſis. At quis imprudenter mentitum Scriptorem non videat, dum hæc addit *omni asseveratione Mallenſis eidem Nuncio affirmavit deuum obtinuisse, ut deſiſterent Russae rei Præſides a conſilio aperiendi tyrocinium, quod jam ſtatutum, decretumque erat*. Ita ne vero? Mallenſis adeo futilis auctor fingatur, adeo temerarius Aulæ romanæ palpator inducatur, ut, de sententia se deduxisse, affirmaverit, Auguſtam, (ea, opinor, tunc præerat rei Russæ) tam juris sui retinentem, tam propoſiti conſtantem Imperatricem, tam in, tirocini inſtituendo obfirmatam, cujus formam modum, sumptum jam paratum haberet,) ut Mallenſis idem ejus conſtantia, & ſtudio victus, litteris Nuncio miſſis, ab eodem acceptis per quatriennium totum eoque amplius, tandem hæc fuerit scribere eidem coactus *in eas se anguſtias esse conjectum, ut vaſtam Diœceſim deserere cogatur*

nuiſse, ut deſiſterent a conſilio aperiendi tyrocinium quod jam STATUTUM, decretumque erat......

§. V. ENCYCLICÆ.

CUm *ecce tibi repente* a Domino Nuncio ad Sanctum Patrem (8) Paſtorales, quas vocant

---

tur, niſi Sanctitas sua aliqua temperatione modum præscriberet. quo ipse Societatis hominum opera uti posset? Omnino fieri poſse negabunt, qui causam totam teneant, qui litteras Mallenſis antea ad Nuncium scriptas sciant, in quibus erat *Velle Imperatricem ut ipse tyrocinium Jesu Sociis aperiret*, qui poſtulata Oratoris Ruſſi per Nuncium ad Pontifiem, pro Mallenſi Delegato Apoſtolico creando, missa legat, quin Scriptor Encyclicus illam e cerebro suo male sano Mallenſis litteris clausulam affinxerit.

Adn. 8.) Quid novi monſtri nobis objiciet litterarius Scriptor? Litteras Paſtorales pro novo memorat monſtro typis editas ab Apoſtolico Delegato quibus manifeſta, plenaque offenſionis calumnia suam in hac re, de inſtituendo Jesuitarum tyrocinio legitimam auctoriatem repetit ab ipſis suppreſſionis litteris Sanctæ recordationis Clementis XIV. (Sanctæ? Cur non *Sanctiſſimæ* recordationis Clementis, a quo plura prodigia Romæ ne ederentur, Pio VI. severe fuerit cavendum?) & a quodam subsequente Sacræ Congregationis de Propaganda Rescripto.

Ecce vero tibi Scriptoris Encyclici novam criminationem, *omni impudentia, plenaque offenſionis calumnia* redundantem. In promptu sunt Delegati Apoſtolici litteræ, in quibus *nusquam* a Brevi Clementis, sed a Brevi Pii legitimam ſibi auctoritatem vindicat. Ad summam enim hanc Paſtoralis Delegati Pontificii Epiſtola redit, ut ipsa poſtea a me prolata teſtificabitur. Mihi, ajebat, Pii VI. rescripto a Congregatione de

Pro-

cant litteræ commemorati Episcopi Mallensis typis impressæ pervenerunt, quibus ille cujusdam extinctorum Jesuitarum tyrocinii institutionem auctoritate sua confirmat, & *manifesta plenaque offensionis calumnia* suam in hac re legitimam auctoritatem repetit ab ipsis suppressionis litteris Sanctæ recordationis Clementis XIV., & a quodam subsequente Sacræ Congregationis de Propaganda Rescripto.

Propaganda misso omnis data eſt jurisdictio, & poteſtas in omnes Albæ Ruſſiæ religiosos, nullis circumscripta Romanæ curiæ decretis. In Alba porro Ruſſia Religioſi sunt ſine controverſia, niſi malitiose cavillemur, Jesuitæ quippe & quibus Clemens ille extinctor Breve suum ſiverit non denuntiari, & quos Pius VI. non habitu, non nomine, non ſtatu eodem, Imperatricis Auguſtæ voluntati gratificatus, prohibuerit. Eſt ergo mihi data in Jesuitas Albæ Ruſſiæ ea dictio juris, ea a Pio VI. poteſtas, qua, potiſſimum volente Auguſta, mihi ſit integrum tyrocinium, pro eorum incolumi poſteritate novis Candidatis aperire. Hic quis non aperte videt Delegatum non a Brevi Clementinæ abolitionis sed a Brevi Pianæ delegationis Apoſtolicæ vim, poteſtatem jurisdictionem omnem ſibi vindicasse? Quis non ſtatim sentit; Delegatum pro religioſis Jesu Socios ſibi habendos putasse, non a Brevi Clementino vulgato, sed a *non denunciato Brevi Clementino*, quod, ab hoc ipso *non denuucintionis* capite nullum in Alba Ruſſia decretum, crederet, ſibi reputandum; sed ab implicita Pii VI. voluntate gratificaturi Auguſtæ, qui prudeus, & sciens cum videret Auguſtam idcirco poſtulasse a se Delegatum Apoſtolicum ut is illius auctoritate Novitios Jesu Societati adjungendos curaret, ejusdem tamen Breve delegationis dedisset, in quo, omnibus aliis decretis, & mandatis derogaret, quæ cum alii tum ipse etiam antea dedisset. Ecce tibi luculentius Epiſtolæ Encyclicæ mendacium, ex Brevi suppreſſionis ſibi Delegatum legitimam arrogasse auctoritatem.

Quamquam mala illius Præsulis fides satis legentibus pateat non minus ex litteris suppressionis , quam ex verbis rescripti Congregationis de Propaganda , quod aliam (9) ei aucto-

cto-

Adn. 9.) Quod rescriptum aliam ei auctoritatem non tribuit , niſi super ordines regulares , qui reipsa exiſtunt , non super abolita Inſtituta , nihil arbitror potuisse magis neque malevole , neque absurde a rabula Curiæ Romanæ omnium inſicientiſſime dici . Vicarius ille Apoſtolicus invigilare super *Ordines* , ideſt corpora , collegia regularia *jubetur* . Super *Inſtituta* , quorum censura ex jure commnuni Pontifici uni ſit reservata , invigilare *non jubetur* . Quid vero erat , cur Delegatus ſibi aliquid juris aut cognitionis , assumeret in Inſtitutum Pium Societatis *Jesu* , a Tridentino Concilio comprobatum ? Illud unum erat videndum Delegato Apoſtolico , Utrum Jesuitae in Alba Ruſſia essent regulares , nec ne essent ; utrum Breve Clementinum illis esset denunciatum , an non ? utrum ii universim religiosi quibus intercedente Magiſtratu aliquo supremo , non ſit rite editum Breve Abolitionis , ſint aboliti , an non ſint ? Atqui illud totum , quod denuo in Alba Ruſſia Delegatus censuit Apoſtolicus , ibi non posse aboleri Ordinem Religiosum , ibi regulares oportere viros religiosos permanere , ubi rite non ſit iis indicta eorum abolitio , etiamſi Romae & decreta , & usurpata fuisset ; hoc inquam , totum Poloni antea Episcopi in Scholis Piis censuerant , hoc totum Hispani in Bonis Fratribus Valetudinariis censuerant , hoc totum Romani de riribus censores cum censuissent , Romani tandem Pontifices in apotheoſi Calasanctianä in causa illa Venerabilis *Joannis* Peccatoris , comprobaverant . Quare & nefarie loquebatur Encyclicus Scriptor , qui *Inſtituta* ipsa , ideſt formam aliquam , evangelicæ sapiantiae semel a Pontificibus probatam) *abolita* vocabat , & ignoranter sentiebat , qui decreta aeconomiae eccleſiaſticae , ſine legitima promulgatione , rata ubique esse debere judicabat , & in humaniter praecipiebat , dum Viſitatori , dum Vicario , dum Delegato Apoſtolico ordinibus omnibus religioſis , rite conſtituto , providentiam eam adimebat qua saluti atque incolumitati virorum religiosorum consuleret .

ctoritatem non tribuit nisi Visitatoris, ac Delegati Apostolici ad invigilandum super *Ordines Regulares*, qui reipsa existunt, minime vero super abolita Instituta.

§. VI. ENCYCLICÆ.

Nihilominus ad coarguendas mendacii falſas Pastoralium ipsius positiones, & argucommenta, Varsaviensi Nuncio in mandatis dedit Pontifex, ut primum Russum Legatum illic commorantem scripto edoceret de nimio, intolerandoque abitrio, quod sibi Mallensis Episcopus arrogarat, ac de perversa, penitusque labante interpretatione facultatis, quam ipse sibi perperam attribuit. Secundo jussit Sanctitas sua, ut idem Dominus Nuncius Mallensi significaret, quantopete animus Pontificis in eum esset commotus, & acriter pro tanto auso reprehenderet, eidem præscribendo, ut temerarias illas Pastorales revocaret, & alias prorsus oppositas substitueret, additis etiam minis (10) futurum ut ipse privaretur facultatibus per

Adn. 10.) Si ex aliis litterarum locis ſuſpicio juſta lectoribus afferebatur; eas mala fide fuisse scriptas; ex hac demum clausula, atrocioribus minis pleniſſima, quas poſtea tamen venti

per Congregationem de Propaganda impertitis; quibus fuerat abusus gravi catholicorum offensione, & aperta violatione constantissimæ voluntatis ac mentis Sanctitatis suæ.

§. VII.

ti in mare, opinor hyperboreum, aeterna concretum glacie, deportarint, certiſſimum fieri poteſt judicium, illas ipsas Encyclicas contra sententiam Pii Pontificis fuisse compoſitas. In ea enim clausula Nuncius jubetur, & in Delegatum invehi acerrime, & pro Imperio Delegato praecipere, ut Paſtorales litteras revocet, ut alias prorsus oppoſitas ſubſtitnat: Praeterea minas addere, futurum, ut ipse Delegatus privetur facultatibus antea conceſſis, scilicet, niſi Pallavicinius suam ipſius libidinem, & Vindictae intemperantem cupiditatem pro sententia Pii VI., pro voluntate Pontificis Maximi jactitasset; inconſtantiae levitatisque Summae notandus Pius, ille omnium Pontificum Romanorum & graviſſimus, & conſtantiſſimus, & providentiſſimus fuisset. Quid enim factum eſt poſtea? Quorsum magnifica illa verba abierunt? Ille Delegatus, Mallensis litteras Paſtorales revocatas noluit. Ille litteras, Contrarias nullas iis suſtituit. Ille, ſibi Delegato Vicario Apoſtolico, poſt trienium, fuisse denuo prorrogatas easdem facultates, a Pontifice Maximo, scripſit, edita Encyclica (a) ad Regulares mense Novembris 1784. Ille Romae in Conſiſtorio die 20. Decembris 1783. a Pontifice Maximo renunciatus Archiepiscopus Mohilovienſis, ab illo ipso Nuncio, acerrimo ante vindice, Petropoli in aedibus, Sacris Catholici nominis eſt publice Pallio condecoratus die 25. Januarii 1784. quo illum Pius donaverat.

Quem, qnaeso, non pudeat vanitatis, jactantiae, ineptiae, fatuitatis Scriptoris illius Encyclici. Aut quem non misereat Pontrficis Principatus, qui vitio Aulicorum alienae potentiae gratiae, pecuniae venditorum, saepe precarius, enervis, abjectus, infirmiſſimus videatur? Sed jam venditas Miniſtrorum operas omitto. Con-

(a) *Hic pag*. 289.

§. VII. ENCYCLICÆ.

Brevis expositio factorum, quorum supra memini confirmata illo constanti candore atque ingenuitate, qua Sanctissimus Pater, Pius VI. omnes actiones suas moderatur, ac dirigit, usui erit Illustrissimæ Dominationi tuæ ut solidis fundamentis de hac re loqui possit, quotiescumque de ea sermo inciderit, & ambiguarum vocum nebulas dissipare, quæ vel inscitia, vel malevolentia, & malignitate ad pervertendam, immutandamque sinceram narrationem tenderent. "

§. XL.

Conſilia Numinis providentiſſimi non possum non indicare, quibus illud propoſitum fuisse videtur, ut, qua ex arce hoſtes, tela mortifera in Jesu Socios jacere se posse putarent, ex eadem Scuta firmiſſima, ac maxime salutaria ad eorum tutelam demitteret; & quibus litteris, rescriptis, brevibus, minis, artibus, calumniis mortem iis extinctæ Societatis reliquiis properarent afferre, iisdem vitam, salutem, perpetuitatem praepararent. Quae cum ſibi persuadere Jesuitici nominis hoſtes nolint, cum odio excaecati voluntario, more, modoque judaico, videntes non videant; cum inſtar aspidis surdae aures ambabus manibus ſibi obturent, ne veritatem ipsam pro Jesu Sociis in Alba Ruſſia clamantem audiant, malunt, has Encyclicas haec rescripta, has litteras Vicarii Apoſtolici paſtorales, haec, atque alia hujusmodi monumenta, ex quibus apertiſſime pateat, Jesu Socios in Alba Ruſſia & fuisse ad hanc diem, & Divis bene juvantibus, futuros in poſterum, subcrescente novitia Juventute, viros religiosos; malunt, inquam, ea omnia dicere, aenigmata ſibi videri, quam veritatis, quam implicita Pii VI. voluntatis teſtimonia, confiteri.

§. XL.

Epistolæ Nuncii præmissæ Animadversiones.

AT jam litteris Encyclicis, una cum ipsarum & Scriptore malevolo, & Auctore Purpurato, auratoque Pallavicinio, a nobis multum & valere, & salvere jussis; ad Epistolam illam famosam, quam N. N. Nuncius ad Delegatum Apostolicum, jussu quidem Aulæ Romanæ accerrimo, (sed haud scio satis, an non impensiore animi sui studio, non cupiditate ardentiore) scripsit, veniamus.

Prisci illi legum scriptores, maxime vero illorum facile princeps Plato, procemio aliquo brevi sibi singulas quasque leges præmuniendas judicabant; quorum nos exemplum quodammodo sequuti pauca prius proloquamur, quo planius, quid sit de istis quasi legibus N. N. de litteris, inquam, de jussis, de mandatis, de præceptis sentiendum, omnibus appareat. Ac, ne videar, in N. N. scriptis, quæ plurima sint & delicta, & commissa, ea omnia N. N. ipsi crimini velle dare; jam ante denuncio, Me Paulo Lucinio illi Abbati litterato potius, ac venali, quam litterario, doctoque servo, eorum partem non minimam ascribendam exi-

sti-

stimare. Omnino enim ita se res tota in ea Russæ Jesu Societatis causa habebat. Quæ quidem recte Pius sentiret, ea omnia Secretarii Pallavicinii animus, non satis ab odio Societatis, parum a cupiditate certe partium vacuus in deteriorem sententiam trahebat. Quæ vero Pii recta sensa, semel ipse Pallavicinius præjudicio, ac prævaricatione turpi corrupisset, ea scriptor Lucinius, servus ab epistolis Nuncii, hostibus Jesuitici nominis non levi mercede addictus, penitus exulcerata, nigerrimæ loliginis veneno inficiebat.

Quæ cum ego proloquor, non propterea ambigi a quoquam velim, quin ille ipse N. N., nondum iis contumeliis contentus, quas in denuncianda Romæ abolitione in Collegio Germanico plurimas illis Jesu Sociis, (a) maxime vero Horatio Stephanuccio, clarissimo Jesu Socio, optime de se merito, immemor, atque ingratus, intulisset; odio, & furore quodam plane delibutus, pestem Russis illis Jesu Sociis concupiverit cum eos temere, & quasi animi sui causa, Refractarios, contumaces, id est perfidos, seditiosos tertio quoque verbo nominabat.

Verum in recitandis Nuncii litteris, quas paulo post exscriptas dabo, quæ digna censorio

(a) V. Epiſt. xi. tom. 3. cui tit. *Le Oui*, *& le non* Pariſiis 1777.

sorio elogio videbuntur, ea obelisco quæque suo notabo. Nunc vero mihi pauca ex illis litteris loca, quæ Lucinius Scriptor mihi procudisse videri solet, occupanda prius existimo, sunt enim ejusmodi loca, in quibus non labi Nuncius Pontificius, sed unus aliquis græculus, & esuriens, & pietatem sibi quæstum faciens, provolui modo potuisse videatur.

Ergo illud est caput in Nuncii litteris nonum, in quo ille severissimus Abbas, cincinatusque Lucinius, ab aliquo transalpino cathechismo recens, hæc in Vicarium Apostolicum concionabatur. *Illud palam est, Dominationem tuam Illmo & Rmo contra propriam conscientiam egisse, quandoquidem per me significatum fuerat. Homines quondam Societatis* (non dicit cujus Societatis, ne Jesu meminisse cogatur, a qua vel descivit, vel dimissus fuit) *ab ipso suppressionis MOMENTO regulares esse desiisse.*

Divi boni quantum est mali, quantum exitii, quantum labis uno dumtaxat Suppressionis *momento*! At possumus ne ex severiore Theologastri sententia, ex *probabiliore* nimirum Lucinii nostri opinione, quale sit habendum illud *momentum*, illud suppressionis instans, exoptatum perditis hominibus, distincte, ac nominatim audire? Video enim diu multa quaesita fuisse

mo-

momenta ad suppressionem Jesu Societatis.

Primum illud fuisse ejus perdendae *momentum* ab ejus inimicis dicebatur, cum Frater ille Laurentius Ganganellius, probato jam consilio abolendae illius Societatis, a regia factione malignissimorum Ministrorum sibi proposito horum ambitione pontentissima renunciatus fuit postridie Kalendas Octobris 1753. Cardinalis. (*a*)

Alterum ab iisdem hostibus Jesuitarum *momentum* habitum fuit certius ad horum perniciem, cum in Conclavi Cardinalis ille idem Ganganellius, factus Romanus Pontifex Clemens XIV. a gratia plane victrice factionis antijesuiticae 19. Maij 1769. Petri sedem occupare cœpit.

Tertium ilud ferme perentorium momentum dicebatur fuisse abolendi nominis Jesu (semper his labi me doleo, dicere volui *Jesuitarum*) cum Papa Ganganellius anno 1772. jam compositum, jam descriptum breve Clementinum circum Aulas Regum dimittendum curabat (*b*) a quibus, ad incudem Ministrorum auream saepius redditum, atque ad arbitrium Laicorum scribarum correctum, sibi Romam remitteretur unde, politicus, vel Mercurialis pacis caducens

O 2 e

(*a*) v. tom. 1. epiſt. 4. Angli ad Caraccioli editi Pariſis 1776.
(*b*) Ibidem

e Vaticano Cœlo in Jesu Socios immitteretur.

Momentum præterea quartum, plane proximum exitio Jesuitarum, illud jam adesse optatissimum, illorum Inimici sibi gratulabantur, cum die 22. Julii 1773. Clemens XIV., a se nigerrimo signo suo subscriptum Breve abolitionis, (cujus tamen exempla an quatuor, an quinque manu exarata insomniis furiosis exagitatus (*a*) una nocte discerpsisse dicitur) typis edendum dedit.

Quintum denique momentum illud sibi Phæbum ipsum albis quadrigis e Cœlo attulisse, omnes conjurati hostes triumphabant, maxime vero ii viri admodum religiosi, qui in Jesuitarum pestem sempiternam sæpe illos suos minores deos, divosve sibi propitios, Palafoxium, Jansenium, Quesnellium, Saucyranum, Parisium Diaconum, obsecrassent; cum die 16. Augusti 1773, ineunte nocte, Romæ abolitionis Breve Clementinum Præposito Societatis Jesu Maximo, Laurentio Riccio, fuit coram denunciatum.

Hoc ipsum, dicet, fuisse momentum quintum Lucinius, atque ejusmodi momentum, quod quinta parte sui nectaris imbuisse voluptas ipsa videbatur, a quo ipso suppressionis momento homines Societatis regulares esse desie-

---

(*a*) Ibidem.

runt. Ita hercle putaveram. Momentum quintum dicis Lucini? Quid tum vero? Illi Russiæ Albæ Jesu Socii, illi ad extremas Sarmatum oras boni Jesu Socii, ex quinto isto momento regulares esse desierunt? Cum id dicas tibi sincerum esse putas, Lucini, sinciput? Cum id scribas, contra fidem conscientiæ egisse Vicarium Apostolicum si ex illo quinto momento non exauctoratos Jesu Socios in extrema Europæ existimavit; estne tibi ulla conscientiæ fides? Quasi vero non omnes a furno redeuntes, lacuque & pueri, & anus non omnes, propedicam, pecudes sciant in ipsa Italia in ipsis opidis Pontificii Regni, in allis christiani nominis Provinciis, post illud quintum momentum, eo usque non desiisse Jesu Socios viros esse religiosos, quoad nominatim in singulis oppidis in singulis domibus, rite de sententia Principum, esset Breve Abolitionis indictum, ac recitatum.

At in Brevi ipso clementino ea Pontificis verba legisset Lucinius *volumus ex nunc & immediate suppressionem universæ Societatis effectum sortiri*. Legisse Lucinium tam gratum sibi carmen, quis neget) Non intellexisse satis tam barbara carminis verba Lucinium, quis satis miretur?

At, non etiam illud ejusdem Brevis caput, *Her-*

Hortamur, Lucinius legisset, in quo Clemens Hortamur, ait, *omnes Principes* ut Breve domi quisque suæ denunciari Jesuitis velit?

Non legisset epistolam Encyclicam, quæ incipit, ex *Adjuncto*, a Quinqueviris Purpuratis, perdendæ Jesu Societati Præfectis, jussu Clementis scriptam in qua Episcopis præcipiebatur, primum ut in *singulis* domibus Individuis, in unum congregatis in qualibet domo Breve Abolitionis edicerent? deinde ut ex *ipso indicti Brevis momento* jam Jesu Socii religiosi esse desinerent? tum ut in possessionem omnium bonorum ex *illo momento* alios mitterent?

Adeone vero Clementem, studio Jesu Societatis perdendæ sibi, Lucinius, cœcum effingeret, ut ne jus commune quidem Pontifex teneret, quod sine denunciatione, sine promulgatione, nullam valere legem humanam constituit?

Quamquam quid ego Clementi illa tam absurda, tam non romana, tam barbara verba *ex nunc immediate volumus*, ascribo, an non potius, si non Lucinio ipsi, at gemello alicui Lucinii scriptori, qui sybolam illi decreto suam contulisset, attribuo? Constat enim apud omnes, illud Breve Clementinum, quasi per saturam, ut ajunt, plenam, undique collectum,

pa-

parum Clementi placuisse, qui cum nonnulla alia, tum vero illa ipsa verba, *ex nunc*, *& immediate*, dedita opera ipse per se in Brevi *Gravissimis*, *& per Quinqueviros suos in Encyclica ex Adjuncto*, *correxisset*.

Ergo ne illud quidem *momentum* satis valuit, ut in Alba Russia, & regularis esse, & vere religiosa, illa Jesu Societas desineret, cum Romæ Breve illud Riccio indicebatur. Opus erat novo quodam *momento*, quod, quo tempore Nuncius ad Delegatum Apostolicum scribebat, nondum ad Albam Russiam, Sol, luminis Pater, pertulerat, *momentum quo Russis Jesu Sociis rite volente Augusta Breve coram indiceretur*, *quod tamen momentum* Imperatricem edicto suo ab Imperio procul arcuisse, ne ipse quidem Nuncius dissimulaverat.

I nunc, & a Varsaviensi Nuncio fidem conscientiæ regendæ pete, momenta singula officii exquire, tempora legis ferendæ, obligationis contrahendæ professionis religiosæ solvendæ, Jesu Societatis abolendæ, subtilius edisce.

Et miramur apud Sarmatas jurisdictionis imperitiam in Nuncie ludo, jocoque Delegato Mallensi fuisse?

§. XLI.

§. XLI.

Stupor in litteris N. N. singularis.

AD ignorationem juriæ prudentiæ, vel ad studiose potius quaesitam ab Nuncio juris totius dissimulationem, accedebat singularis quidam mentis stupor, ac turpissima ratiocinandi inscientia, quae cum Pontificio indigna Nuncio esset, ea tota ab acumine plumbeo Lucinii librarii profecta videbatur. Conatus enim N. N in iis litteris evincere, Vicarium in Alba Russia Apostolicum a fide conscientiae suae, in instituendo illo Jesu Societatis tirocinio, manifesto recessisse, atque ipsum secum pugnantia in Pastorali Epistola scripsisse, hac formula argumentabatur, qua eadem in comentario Promemoriam Romae hodie vocant) ad Aulam Petropolitanam misso, pro novo Achille, sed valde non veloci pedibus sed ingenio tardo, utendum sibi judicabat. „ Quod *Refractariis* ajebat, Jesuitis permisit Vicarius Apostolicus tyrocinium aperire, & novos Socios aggregare, quod hi sine hac concesione non possent; tacite igitur confiletur, se persuasum sibi habere, Ipsorum Ordinem isthic extinctum esse " Egregie, acute, nihil supra!

Ni-

Nihil hic moror, Jesuitas eos dici *Refractarios*, quibus praeceptum nullum datum esset, quod nec frangere, nec refringere possent: Nihil illud urgeo, sibi falsissimum a Nuncio assumptum, Eos, sine concessione nova Delegati, usos tamen communi jure religiosorum Ordinum, non potuisse novos sibi Socios aggregare. Credo equidem, nec vana fides, Mallensem, latina illa Sarmatum lingua, in legendo illo loco exclamasse. *Nego suppositum Domine Nuncie; videat, quid dicat vestra dominatio Amplissima*. Licuit illis quidem socios sibi novos nihilominus in Alba Russia aggregare, quam ante in Hispania bonis illis licuisset Fratribus Valetudinariis, ubi plures illis sunt aggregati Novitii, etiam si Romae Ordo Valetudinarius fuisset binis decretis (quibus Regem Catholicum intercessisse sine indignatione Curiae Romanae scimus) a Clemente VIII. extinctus. (*a*)

Non decet in re tam seria ludificari, tam religiosa Nuncium Pontificium cavillari. Ibi esse religiosus is Ordo pergat, ubi Breve abolitionis nullum ei rite sit denunciatum: religioso semper liceat Ordini, ubicumque sit, ibi successionis jure communi novitiam prolem

(*a*) Decretum Pauli V. edit. 7. Julii 1611. cujus init. Roman. Pon.

cooptare. Sic opinor paucis Apoſtolicus Vicarius a tricis Apoſtolici Nuncii ſeſe expedierit; neque Ego diutius his irretitus hærebo.

Vim modo mirificam argumenti lectoribus indicabo. Cur quæſo, Nuncie, Delegatus ſibi dicitur habuiſſe perſuaſum, extinctos jam fuiſſe illos Jeſu Socios? Cur hanc animi ſui ſententiam tacite confitetur?

Ne quæſieris pluribus. Scin' Cur? Neſcio hercle. At Ego dicam: Quia Jeſuitis permiſerit ille aperire tyrocinium, quod illi occluſum habuerant. Quid tum poſtea? O bone! nonne, vides? Si occluſum habuerant, jam eos novos Socios ſibi aggregare deſiſſe. Deſierant certe. Igitur, ſi deſierunt, colligit Lucinius, aggregare ſibi Socios non poterant. Dic inquam, clarius. Dicam ſane: Si jam illi Refractarii non aggregabant, ergo non poterant jam novos ſibi ſocios aggregare. Novum Nuncii Apoſtolici Acumen!

Nunc demum intelligo. Res eo tota redit. Si quis quid libere, ſi quis conſulto, ſi quis certo quodam animo judicio, facere aliquid aliquando deſtitit, hoc ea de cauſa deſtitit facere, quia facere non poterat, adeo ut, quod quis prius libere non fecit, jam in poſterum libere nunquam poſſit facere.

At cui iſta, Apoſtolica potius, quam Bata-

va,

va, videatur dialectica? Hoc certe genus non valde mihi ab illo errore Petri Tamburini abhorrere videtur, qui palam in illis de Gratia thesibus, gratificatus Magistris suis Ultrajectensibus, & fidei bonæ, & sanæ doctrinæ, gratiæ potissimum sufficienti infensissimis, concludebat: Ego in discrimine flagitii admitendi, captus victrice illecebra, non oro, non precor, non Deum invoco? Non ergo habeo gratiam orationis, non queo orare, non queo victrici cupiditati resistere. Quod enim omiserit facere quis, id nec facere quidem poterat nec jam potest.

Equidem, non cum Tamburino, scio, Nuncium concinere: quo Ego magis Lucinio abortum totum tribuo, male natæ ad Vicarium Mallensem, illius Epistolæ.

At illi in Alba Russia non refractarii, sed docti sapienter agere, & bene de libero arbitrio sentire Jesu Socii, catholici quidem doctores, non contumaces e Belgio Theologi, cum & possent, & posse se scirent, novos sibi socios adjungere malebant tamen viribus suis parcere, de jure communi decedere, interea ab allegendis Candidatis sibi temperare, quam in offensionem etiam iniquissimam aliorum, maxime vero Ministrorum, ac Curialium Aulæ Romanae rabularum, incurrere. Male-

bant infirmioris vulgi conscientiae servire, quod Paulus olim fieri, auctor fuerat, quam jure suo certo, quam legitima, potestate, Ordinibus religiosis communi, interea uti. Malebant cavere Candidatis, cavere candidatorum patrio timori, cavere malevolentiae obtrectatorum, quam posteritati suae sine publica auctoritate, sine implicita saltem Pontificis Maximi voluntate, denuo testata per eundem Vicarium prospicere.

Verum ad ipsam propius epistolam exscribendam, quam Nuncius in ea causa a semetipso, vel ab Aulicis romanis vel librario certe aliquo servo compositam, mittebat ad Episcopum Mallensem, video mihi esse veniendum. Ex qua epistola sponte veluti sua, ejusmodi lectoribus argumenta in oculos incurrent, quibus illius epistolae Auctor, quisquis ille fuerit, non modo impudens in mentiendo, projectus in conviciando, praeceps in calumniando; verum etiam perfidus adversus Pontifices Romanos, injurius, ac praevaricator in eos ipsos Aulae romanae Ministros, quibus ea epistola gratum facere velle videbatur, fuisse convincatur. Id quod recitanda epistola tota evidenter a nobis demonstrabitur.

§. XLII.

§. XLII.

Notis distincta epistola Nuncii ad Mallensem (*a*)

Perillustris & Rev. Domiue,

UT sacri ,, & inviolabilis Ministerii mei partibus satisfacerem, ne punctum quidem temporis distuli, Summum Pontificem edocere de ratione, & argumento Pastoralium litterarum, quas Dominatio tua Illma 30. Junii typis impressas; & non solum in Alba Russia, sed etiam in aliis istius vasti Imperii Provincis disseminatas, & quibus Dom. tua Ill. putavit, posse se auctoritate sua permittere, & potestatem facere *extinctis ex - Jesuitis* (1) tyrocinium erigendi, quasi ad id faciendum habilis reddita fuisset & Brevi Sanctae Memoriae Clementis XIV. (Not. 2.) & Rescri-

(*a*) Ex ephemer universalibus anni 1780. pag. 47. Italice scripta.

Not. 1. *Extinctis Ex Jesuitis* Vult mentitus Scriptor libere & impudenter couviciari. Illi in Alba Ruſſia Jesu Socii quibus Breve nunquam fuisset edictum, non ex Jesuitæ non extincti, non refractarii erant. Hoc millies demonſtratum paulo poſt pag, pluribus patebit.

Not. 2. *Brevi Clementis XIV.* Rursus Scriptor epiſtolæ dixisse Mallensem in litteris Paſtoralibus ſibi a Brevi Clementino factam fuisse facultatem inſtituendi tyrocinii mentiendo cavillatur Videnda quæ antea sunt a nobis dicta pag.

scripto, quod a Summo Pontifice per Dominum Secretarium S. Congregationis de Propaganda emanarat.

§. 2.

HÆc mea ejus rei naratio tali, tantaque Sanctum Patrem *admiratione* (Not. 3.) *mæroreque* affecit, ut ex gravi diuturnoque morbo, singulari beneficio, & manifesta erga gregem eidem commissum Dei providentia, vix dum convalescens, inter exultantium primorum Ecclesiae filiorum, Populorum eidem Ecclesiae obedientium lætitiam, multo majorem ex ista Dominationis tuae Rev. agendi ratione dolorem cœperit, quam recreationem, levamenque ex fidelium plausu ac gratulatione pro pretiosa ejus salute recuperata. Nam secum reputavit, gravissimae offensionis esse & maxima reprehensione dignum id, quod egit Dominatio tua Illm̃a, & Rm̃a si spectetur non so-

Not. 3 Admiratione, mæroreque.

Quam, Deus bone! impudenter quam impie! quam sacrilege! Pio VI. Scriptor & admirationem aſſingat. quaſi Pius nihil de exitu facultatis concesae Mallenſi prævidisset, & mærorem eidem aſſiceret, quaſi doluerit factum id, quod implicita voluntate ſieri concesserat. Poſteà clarius a nobis dicetur. scilicet quam augere videtur, eam Pii majeſtatem minuit pag. 159.

solum manifesta conculcatio (Not. 4.) Brevis Sanctae recordationis Clementis XIV. , & Instructionum ad hanc ipsam rem spectantium, quas Sanctus Pater per me Dominationi tuae Illmæ & Rev. iterum, atque iterum subministravit; verum etiam spectato *abusu*, quo Dominatio tua Ill. & Rev. Breve Congregationis de Propaganda est interpetrata. Quamobrem ipse Sanctus Pater, quamvis incredibili mansuetudine, ac moderatione praeditus, facere non potest, quin opera mea objurgationes, reprehensionesque suas Dominationi tuae Ill. & Rev. significet.

§. 3.

INficiari non poterit Dominatio tua Ill. & Rev. gravissimis objurgationibus reprehendi oportere Episcopum, qui ad ea, quae caput Ecclesiae decreverat, & quae per *Orbem universum jam erant executioni mandata, & cum ve-*

Not. 4. *Conculcatio* Mendacia novis mentitis atrocibus contumeliis in Mallensem cumulat Scriptor, odio inimicæ factionis addictus. Paulo poſt. pag. clariſſimo in lumiue rursus a nobis collocabitur; Mallensem Summo & obsequio. pietate, & religioni prosequutum fuisse & Clementis Breve, & Pii VI. mandata, & Breve Congregationis de Propaganda, & epiſtolas Nuncii.

veneratione reeepta (Not. 5.) *se conformare* neglexisset, & praeterea eo devenisset, ut Summo Pontifici sentiendi rationem iis, quæ jam ante fuerant perspicue declarata, atque adeo ipsis Brevium, Ponficiorumque Rescriptorum verbis maxime oppositam, attribueret.

§. 4.

UTrumque peccat Instructio Pastoralis a Dominatione tua Ill. & Rev. pervulgata quae quidem agendi ratio inconsiderata fuit, etronea, tendens ad exitandas turbas (Not. 6.) ac dissensiones inter fideles, & ad scindenda in duas propositiones, inter se maxime pugnantes, consideratissima Sedis Apostolicae oracula erga extinctam Societatem: Cum Dominatio

Not. 5. Per Orbem universam executioni mandata, & cum veneratione recepta. Perfrictam hominis frontem! Hic profecto plenam satyram in Nuncium non scribere iis omnibus ſit difficile, qui Sacrum Collegium Cardinalium non recepisse Breve abolitionis, noverint qui litt. Archiep. Par. typis vulgatas, quibus, Breve Clemen. rejectum fuisse ab Ecclesia Gallicana, teſtificatur.

Not. 6. Itane vero *turbas*? Turbæ ne in Alba Ruſſia, ubi Imperatrix in pacifica prioris conditionis posseſſione, a se promissa, cives catholicos omnrs manese volebat, exitarentur, oportuit Mallensem Paſtorali Epiſtola tyrocinium Jesu Sociis aperire. Quas omnino turbas ipse seditiosa epiſtola sua N. N. inflamasset, niſi Auguſtæ mens prudentiſſima malo obviam ivisset, paulo poſt pag.   palam omnibus fiet.

tio tua Ill. & Rev. nova ejusdem tyrocinia sua confirmet auctoritate.

§. 5.

HInc a veritate multum id aberrat, quod Dominatio tua Ill. & Rev. in sua Pastorali instructione pósuit, videlicet: Breve Sanctae recordationis Clementis XIV. ad Societatis suppressionem spectans, non complecti Societatis homines in *ditione Russa* commorantes cum potius notum sit, statutam Clementino decreto suppressionem verbis ABSOLUTIS, universalibus, distinctis, neque ab ullo eventa pendentibus, conceptam esse. (Not. 7.)

§. 6.

AD majorem hujusce rei confirmationem illud addatur, quod, cum Summus Pontifex opera mea Dominationi tuæ Ill. & Rev. expresse declarasset, Ex-Jesuitas per Moscho-

vi-

Not. 7. Niril dici posse magis per se ineptum, magis præterea contrarium juri Principatus, Juri Episcopatus, *J*uri etiam Pontificio, quam Brevia Romana disciplinam moderatura, ab *eventu nullo* pendere, ac ne a *denunciatione* quidem legitima, a Nobis poſtea pag. 157. auctoritate etiam ipſius Clementis XIV. planiſſimum fiet.

viticum Imperium (Not. 8.) sparsos, etsi in Collegiis, ac domibus congregati degerent, omnino tamen habendos esse pro supressis, & ad Sæcularium Præsbyterorum conditionem redactis Episcopali jurisdictioni penitus subjectis; non poterat Dominatio tua Ill. & Rev. verba Clementini Brevis interpretari nisi ad mentem satis notam Sancti Patris, qui cum Societatem ut supra, in istis quoque Regionibus extinctam declarasset, ad hoc faciendum ea ratione permovebatur, nimirum, ut se ad Antecessoris sui mentem, sententiamque conformaret.

§. 7.

JAm vero nullo fundamento inniti poterat Dominatio tua Ill. & Rev., ut putaret se, Sa-

Not. 8. Licuit impune N. N. cui certe non licebat. operam mentiri suam. Nullus unquam legislator declaravit, legem non rite promulgatam obligasse eos, quibus non esset promulgata. Ne Clemens quidem ille, extinctor Societatis *Jesu*, nedum Pius VI., ejusdem extinctæ requiſitor, voluit, nolente Imperatrice atque denunciationi Brevis reclamante, Jesuitas in Alba Ruſſia deſinere in eo esse, in quo antea fuissent ſtatu. Qua in re N. N. quidem ipse & mentitur, & secum pugnat, qui semper Malleſi consulenti responsum esse nomine Pontificis, voce vero, & scripto Aulicorum, sciebat, ut Breve Clementinum Jesuitis edicere; quippe quod ſine denunciatione legitima, ex jure communi, in eos Jesu Socios Albæ Ruſſiæ, apud omnes nihil valere posse, conſtaret.

Sacræ Congregationis de Propaganda rescripto habilem redditam ſuisse ad efficiendum auctoritate sua, ut subsisteret, ac renasceretur Ordo *ultima sententia* suppressus; quinimmo alia omnia persuadere sibi debebat. Nam & pars narrativa, & dispositiva, & clausula ejusdem Rescripti evidenter ostendunt, illud referri non posse ad alios homines quam ad eos, qui vere continentur in corpore Cleri Regularis, (Not. 9) eo nimirum modo, quo ille nunc est in universa Ecclesia compositus, cognitus, & approbatus. Non poterat igitur referri ad Institutum rite abolitum.

§. 8.

R. Escriptum illud *eo unice* tendebat, ut Dominatio tua Ill. & Rev. uti posset opera

Not. 9. Hic Nuncius vel ipse nolens sese prodit ſtupidum, vel ſtupidum nobis Mallensem eſſingit. Ipse ſtupidus ſit omnium judicio, ſi illis verbis *Ordo ultima sententia oppressus*, velit Mallenſi persuadere, Ordinem Russæ *Jesu* Societatis, cui nullam denunciatam Pontificis sententiam videret Mallenſis in Alba Ruſſia fuisse oppressum.

Mallensem ſibi fingat ſtupidum, ſi ipse ſibi persuadeat, illis verbis; *qui vere continentur in corpore Cleri regularis* non videre Mallensem agi de corpore Cleri Regularis in Alba Ruſſia, in quod corpus Delegati facultas erat ipſi data; in qua Alba Ruſſia *Jesu* Societas, cui edictum non fuisset rite Clementis decretum, erat in corpore cleri regularis, in quo antea fuisset.

ra Regularium a sua jurisdictione non pendentium, ad providendum Parochiarum indigentiæ, ad conservandam in ipsis claustris religiosis, ut ante exemptis, regularis disciplinæ sanctitatem. Hoc *UNUM* (Not. 10.) Sancto Patri expositum fuit, & hujus *UNIUS* impetrandi causa implorata fuit auctoritas suprema. Facultates autem Dominationi tuæ Ill. & Rev. id postulanti concessæ similes sunt illis, quibus insigniuntur Nuncii Apostolici. Itaque Dominatio tua Ill. & Rev. ignorare non poterat, ejusmodi facultates nihilo magis sufficientes esse ad dandam auctoritatem instaurandi, id quod Papa destruxerat, quam esset ad conferendam auctoritatem condendi, stabiliendique in Ecclesia Catholica Romana novum Ordinem religiosum.

§. 9.

ILlud quoque palam est, Dominationem tuam Ill. & Rev. contra propriam conscientiam

Not. 10. Hoc vero, *unum*, atque illud alterum, *unius unice*, non in aperto mendacio cubant? Si cui libuerit, hoc caput Nuncii vaniſſimi cum secundo capite encyclico Pallavicinii pag. & seq., conferre, is aperte videbit, aut utrumque caput esse mendaciſſimum aut certe hoc alterum Nuncii caput nihil sani, nihil ſinceri habere. De quo dolo, ac fraude mala paulo poſt pag. nobis sermo redibit.

tiam egisse; quandoquidem, ut supra dixi; Dominationi tuæ Ill. & Rev. per me significatum, declaratum fuerat; Homines quondam Societatis ab ipso suppressionis *momento* regulares esse desiisse, & quemlibet ipsorum habendum esse pro homine ad nullum religiosum Ordinem pertinente. Quod autem evidentius demonstrat, Dominationem tuam Ill. & Rev. secum ipsam pugnare, & scientem, volentemque facultatis super regulares impetratæ terminos prætergressam fuisse, illud est, quod *Refractariis Ex Jesuitis* permittit tyrocinium aperire, & novos Socios aggregare Tacite igitur confitetur, se persuasum sibi habere ipsum Ordinem *isthic* quoque extinctum esse, cum sine hac Dominationis tuæ Ill. & Rev. concessione non possent homines illi sese conservare, atque Ordinem suum propagare, quandoquidem Ordines regulares, vere, & reipsa tales non idigent istis permisionibus, & Pastoralibus Instructionibus ad recipiendos tyrones, quemadmodum ne ipsi quidem autiqui Jesuitæ ante suppressionem iis indigebant.

§. 10.

ITaque ad corrigendas, quæ in illo mandato continentur falsas positiones, ad depellendum

dum ex istorum catholicorum animis errorem, ad medendum pessimo exemplo, ad dandam Sancto Patri satisfactionem, (Not. 11.) quæ plane adæquet gravitatem offensæ, quam in persona sui Antecessoris subiit; sentit Sanctitas Sua, necesse esse, Dominationem tuam Ill. & Rev. aliam Instructionem Pastoralem (Not. 12.) typis evulgare in confutationem, improbationemque prioris, irritam, ac penitus nullam declarando concessam erigendi tyrocinium facultatem, cum reliquis omnibus, quæ eodem pertinere videantur, & ad usum, observan-

Not. 11. Quid erat, quare Mallenſis per litteras Pio VI. *satis in ea cauſa faceret*? Nihil profecto, ut paulo poſt pag. paulo copioſius perſequemur. Erat vero quare Nuncius id, quod Petropoli in tradendo publice Pallio præſtitit *faceret Mallenſi satis*. Fuit etiam quare, per litteras Nuncius sese apud Auguſtam purgaret, quas poſtea pag. recitabimus.

Not. 12. Quid eſt aliud Majeſtatem Pontificiam lædere, ſi hoc non eſt? Inducas tu Pium Pontificem Maximum, cujus perſonam publice ſuſtineas præcipientem, inconſulta Imperatrice, id, quod eadem repugnante, numquam præciperet? Deis tu, Pontificis Maximi Nuncius, imperitis locum, ut ejus irrideant auctoritatem, impiis, ut in ejus pleniſſimam poteſtatem illudant, cum videant, poſt tot fortia verba, poſt apologum illum, *parturiebant montes magno ſtrepitu*; tamen Mallenſem, non revocata Paſtorali, non alia edita contraria epiſtola, non modo non pœna affectum ulla, sed a Pontifice Pio VI. novis honoribus augeri? Pii quidem VI. in eo juſtitiæ amor, atque ſtudium bonis omnibus probatum fuit. At Nuncii, at Pallavicinii, at aliorum Aulicorum impudentiſſima calumnia ab omni poſteritate, & infamia summa notabitur, & maxima pœna digniſſima fuisse dicetur.

servantiamque revocando, quidquid super hac re a Sede Apostolica decretum jam fuerat, atque statutum.

§. 11.

HIc necesse non est id suggerere, quod Dominationi tuæ Ill. & Rev. ultro suggeret religio, veneratio, & observantia erga Sacram Personam Capitis Ecclesiæ Catholicæ videlicet, debere ipsam submissas ac deprecantes ad Sanctum Patrem litteras dare, quibus eidem testificetur, ac profiteatur promptam voluntatis suæ conformationem, & obedientiam justis desideriis Pontificiis debitam: uno verbo, litteras, quæ aptæ sint ad reddendam tranquillitatem, & lætitiam animo Sanctitatis suæ graviter commoto, & agitato &c. „

Varsaviæ 7. Septembris 1779.

§. XLIII.

Injurius in omnes quos memorat, Nuncius.

REcitata jam, brevibusque notis inusta Nuncii ad Mallensem epistola, me ad ejusdem libellum Supplicem (*quem Promemoriam idest* *com-*

commentarium a se inscripto Legato Russo Varsaviae Nuncius ipse in manus tradebat, cujus opera Imperatrici redderetur) sine mora conferrem, nisi operae pretium majus me facturum arbitrarem, si totum Nuncium ex illa epistola lectori meo suis coloribus effingerem.

Dico itaque Nuncium illum neminem in epistola sua nominasse, cui non summam injuriam per nefariam mendacii calumniam inferret.

Primum enim, quod ad Russam illam Jesu Societatem, letho pejus homini invisam, attinet, credo, in eo se ille valde amabit etiam nunc, quoties ipse secum recordabitur, eos a se toties libentissimo animo fuisse dictos *extinctos*, *toties ex Jesuitas*, *toties abolitos*, *toties refractarios*.

At si Nuncium ante mentitum, ante impune calumniatum, nihil injuriae pœnitebat, at nunc saltem vanitatis, mendacii, perditae conscientiae pudeat. Meminerit, Pium VI. die 3. Maii 1775., edito Decreto in causa Ven. Servi Dei Joannis Legrandi, ex cathedra Apostolica docuisse. Eum, atque adeo eos viros ante religiosos professos, qui decreto Pontificio de ipso S. Joannis de Deo religioso Ordine abolendo, Romae semel, atque iterum dato, ibi, (in Hispania) non paruerint, ubi il-

liusmodi

jusmodi decretum mortiferum ac perentorium non fuerit, vetante Hispaniarum Rege, promulgatum, non esse *contumaces* non *refractarios*, non *exoletos*, non *abolitos*; sed ita pios, morigeros, bonos, religiosos, ut possint (si Institutum ibi observent *pium*, etiam si Romæ fuerit supressum,) & esse, & haberi, & dici *Venerabiles*.

At saltem colore aliquo venale mendacium, speciosam pelle tenus contumeliam fecisset in epistola Nuncius. Quid illud dissimulabat in eo i quod toties in aliis epistolis agnoverat, Decretum Clementinum non fuisse in Alba Russia, repugnante Imperatrice Jesuitis denunciatum? Cur qui semel pudoris, & veri fines transiisset, non eo impudentiæ, & vanitatis progrediebatur Nuncius ut nominatim locum, tempus, anni diem, diei horam mentiretur, cum vel Clementi, vel Pio, vel Tovviansckio Corepiscopo Vilnensis diœcesis, vel Episcopo Vilnensi Massalkio, vel ipsi Mallensi non paruissent illi refractarii Jesuitæ?

Quid timeret in ea fabula ornanda fabulosus Nuncius? Maxime cum de eadem fidelia, quod ajunt, potuisset impune alteram fabulam refricare de Nicolao I. Rege Paraquariæ & de Romanæ Societatis Ærario, de quo toties interrogatus fuit ad invidiam Riccius cu-

jus profusione criminaretur, emptos fuisse ab illis Jesuitis eos in Polonia, & Alba Russia Episcopos, ne ad obsequium Clementis & Pii palam illi cogerentur.

Esto: expleverit animum suum Nuncius in Jesuitas, quos, immemor beneficiorum, nefarie quidem insectaretur, non gratis tamen odisset, cum eo odio dibaphum sibi comparasset. Dico, in Clementem illum suum illa epistola sese nefarium, & sceleratum præstitisse. Scribebat enim capite Epistolæ suæ tertio, Clementis decreta de Societate abolenda, & ubique per *orbem universum executioni mandata*, & fuisse *summa cum veneratione recepta*. Proh Superi! perfrictam hominis frontem!

Hic vix me teneo quin ipsius Clementis manes, ultores tanti in ipsum opprobrii, appellem. Ille si e mortuis adfuisset redivivus, non his in Nuncium merito invectus esset conviciis? Parumne tibi est, Nuncie, mendacia vetera novis mendaciis consuere, nisi ea per speciem laudis in opprobrium, in dedecus, in infamiam nostræ memoriæ convertas? Quid istud ulcus mei nominis, istam Pontificatus mei labem attinet refricare? Non tu Romæ, ubi consiliis de evertenda Jesu Societate interesse solebas, ipse noveras, Decretum invito mihi extortum, neque in Sa-

cro

cro Collegio de more recitatum, neque ab eodem Sacro Collegio publice receptum; neque privato ac tacito consensu fuisse, me vivo, & hoc saltem a Decano Cardinali Albanio rogante, Sacro Collegio probatum? Non? (*a*) tu idem audieras in Oratione funebri, de me Romæ ea conditione composita a *Philippo Bonamicio*, ut contra morem non esset typis edenda actionem illam meam extinctæ Jesu Societatis ne significatam quidem Sacro fuisse Collegio? Non noveras, in nullo monumento mihi mortuo erecto, nomen extinctae Jesu Societatis, ne a meis quidem Franciscanis Fratribus inscriptum fuisse? An per te, Nuncie, impudenter mentitum non licebit eam notam, meo nomini a Purpuratis Patribus inustam, oblivione perpetua obtegere; cum illi ipsi in illa re gravissima a me non consulti, injuriam Sacro Collegio irrogatam, vellent silentio deletam? Mea decreta per Orbem universum dicas executioni fuisse mandata? Jam parce sepulto, N. N. desine in me ea tela e manu Beaumontii Parisiensis Archiepiscopi denuo intorquere, quæ me, quæ meam famam, nomenque lacerarunt. Quid enim erat opus mendacio isto tuo memoriam

R 2 apud

(*a*) Tom. I. Epiſt. 4. Angli ad Caraccioli edit Pariſiis an. 1776.

apud omnes earum renovare litterarum, quibus Ecclesia Gallicana decretum meum acerrime insectata, penitus rejiciebat? An christianus Orbis universus (sic enim gloriosius, quam cautius scribis) extra fines Sacri Collegii, extra fines Ecclesiæ Gallicanæ, intra eas Provincias circumscribendus tibi videtur, quibus Provinciis partim minaciter efflagitantibus, partim possessiones Pontificiæ ditionis invadentibus, partim ambitione, largitione, gratia, potentia nonnullorum scribarum Regiorum circumventis, atque oppressis, invitissimus Ego, vix volens nolenti animo Breve meum cogebar ad spem fallacissime pacis addicere?

Jam quæ te diræ, quæ te intemperiæ, quæ mala mens, ac perdita ratio ea tibi verba in dedecus, & opprobrium meum dictabant §. 5: *Clemevtino decreto suppressionem verbis absolutis, universalibus, distinctis, neque ab ullo eventu pendentibus conceptam esse*: Atque §. 9: *Homines quondam Societatis ab ipso suppressionis momento Regulares esse desiisse*? Tu non furiosus? Tu non insanus? Tu non amentissimus sis habendus? qui cum legisses aliud Breve, a me dedita opera eodem tempore vulgatum, *Gravissimis*, ut vim insolentiorem, eamque Brevi de abolenda Societate, alieno

calamo inustam, coercerem; tamen contendas me adversus jus Naturæ, adversus jus Imperii, adversus jus Sacerdotii, adversus jura omnia & divina, & humana decrevisse, Breve meum in disciplina regenda versatum, valiturum ubique sine promulgatione, sine assensu Civitatis, sine denunciatione rite suscepta? Quasi vel Ego nescivissem, vel tu sine scelere posses ignorare Sanctam Petri Sedem, solitam jura sua defendere, aliena servare, mendaciis istis tuis, manifestis calumniis, fraude: doloque malo non indigere. In Alba Russia, si quæris, Nuncie, (non enim dicam, si verum scire amas); Ego Jesu Socios in statu quo fuissent ante decretum, ibidem non denunciatum meum, *gratificatus* Augustæ *Imperatrici*, esse oportere, censebam.

Hæc opinor, Clemens cum Nuncio, si potuisset, acerrime conquestus fuisset. Verum nulla fuerit Nuncii cum vita jam functis ratio.

Quis vero aut satis mirari secum, aut apud alios satis possit acriter accusare, audaciam, ne dicam projectam, an sacrilegam temeritatem, qua in Pium ipsum VI. idem Nuncius, eadem illa epistola, specie quidem venerationis, sed per fictam tamen obsequii, officii, pietatis simulationem, invehi videbatur?

Nam,

cum ipse ex animi sui pravitate, ac livore Pii animum, per se rectum, & beneficum, metiretur; suam ipse admirationem, qui satis imperitè non praevidisset, Mallensem nova facultate ad salutem Albæ Russiæ volente Imperatrice, usurum, cum *Pio* communicabat; suum ipse etiam *mœrorem*, quem delusus ex tyrocinio instituto, ex Jesu Societate recreata, perciperet, Pio inustum pariter arguebat.

Nunquam ne, NN. illud quod fertur in Aulis Regiis, maxime a Tacito (*a*) audieras: *Abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, tibi illicitum anceps, nec ideo assequere*? Quamquam cur te, civilis istius peritiæ ignarum, reprehendo? Tu non exquirere, non assequi Pii sensus, quos tuis scires dissimillimos, volebas, sed eos ad libidinem tuam fingere ad invidiam Mallensis edere in vulgus constitueras Mea iniquis, *narratio summa admiratione Sanctum Patrem affecit*.

Da mihi veniam, Pie Pontifex sapientissime, ut pro dignitate tua amplissima, contra Nuncii prævaricationem, dicam. Quid? Nescis, Nuncie, ab una ignoratione proficisci admirationem? Nescis stulti Moderatoris illud, *non putaveram* communi judicio reprehendi?

Quid

(*a*) lib. 6. anal.

Quid miraretur Pius institutum tyrocinium, qui factus antea certior fuisset etiam per Nuncium, Imperatricem velle Augustam in Alba Russia Jesu Sociis tyrocinium? Quid miraretur Pius, Mallensem, cui sine exceptione facultatem Vicarii Apostolici in omnes Ordines religiosos dedisset, ea fuisse ad arbitrium Imperatricis in aperiendo tyrocinio religiosæ Jesu Societatis usum? Quid miraretur Pius, si Ordine religioso, cui ipse & habitum, & nomen, & institutam vivendi rationem, ex Articulo quinto Fœderis, a Sede Apostolica probato, permitteret, Vicarius Apostolicus novos tyrones allegeret? Scilicet miraretur Sapientissimus Ecclesiæ universalis Moderator id reatque exitu ipso perfectum fuisse, quod ipse implicita voluntate, sciens, ac prudens, vivus, vidensque perfici voluisset; id quod Albanius Cardinalis cum factum rescisset, non potuerit ridere satis jucunde, ac lepide eorum indignationem, cum admiratione conjunctam, qui jurati hostes Jesu Societatis, Breve ab Aula Romana Mallensi, cum tam soluta potestate concessum, faterentur.

Rursus de mœrore, quem Nuncius a se in Pium VI. derivare volebat, bona cum Summi Pontificis tanti, talisque Principis venia, pauca liceat dicere. Unde Pio tantus cum luctu

mœ-

moeror? An quod superstes esset Jesu Societas in Alba Russia? At quid crudelius, quid immanius excogitari potuit, quam dolere Pium VI. non periisse funditus eos Jesu Socios, quibus nominatim ne Nuncius quidem aliquid criminis affingeret? quibus Catharina II. opem auxilium, incolumitatem perpetuam ferre conaretur? quorum opera Mallensis in Ecclesia sua posse se carere, sine suorum fidelium certissima pernicie, negaret?

An idcirco luctus Pium Pontificem teneret, quod a Regum Aulis, ab Aulicis Ministris sibi male timeret, ne non posset satis eorum vel expostulationibus amicis, vel iniquis querimoniis facere? At, si quis ita de Pio sensisset, male de tanti Principis sapientia, male de tanti Pontificis prudentia existimasset.

Adsint regii Oratores, amice cum Pio expostulent, vel, si mavis, paulo impotentius quatenus datum Mallensi locum aperendi in Alba Russia tyrocinii. Quid tum postea? Non jam ante mens Pii provida istis criminationibus aditum præcluserat? Dicat scilicet, sese facultatem, Mallensi datam intra fines Imperii unius Moschici, ne quid novi alia timerent Imperia, circumscripsisse. Dicat idem in Brevi suo neque se mentionem Jesu Societatis, tam valde alibi suspectæ, ullam facere, neque Breve

Cle-

Clementis XIV., in Alba Russia non indicti, in eo meminisse.

Addat, sese rogatum ab Imperatrice, neque voluisse, neque vero debuisse, non maximam tantæ Majestatis rationem habere. Qui enim fuisset æquius, Clementem obsequi aliis Principibus rogantibus, quam sese Pium Imperatrici, in ea postulatione, gratificari, sese plane non videre, sese personam universalis in Ecclesia Pontificis, & communis omnium Christianorum Patris, divinitus sibi Christi Vicario impositam, gerere. Si Clemens aliis Principibus id concessisset, quod in rem ipsi suam publicam fore duxissent; cur ipse Imperatrici non daret eam in Delegato Apostolico auctoritatem, quam ad sulutem fidelium in Imperio suo necessariam illa postulasset?

Quid alii Principes in suo quisque Regno, vellent sibi per Romanum Pontificem licere, cum Imperatrix Russiarum Catharina Augusta neque curet, neque tangat; æquum omnino sibi videri, quid domi Augusta suæ consituat, quid de catholicis, sibi subditis, per me ad suorum salutem velit licere, alios Principes omnino neque quærere, neque in eo velle se interponere oportere.

Quæro nunc a Nuncio utrum ipse se non ita de sapientia Pii antea sensisse, dicat; an

in eo consilio parum sapienter sensisse Pium existimet? Si aliter de sapientia Romani Pontificis N. N. sensisse se, dicere audebit ; Oh Deus bone ! Pium tam cupidum, tam partium studiosum, tam æqui, bonique inimicum sibi finget, quam ipse se in ea causa Pontificius Nuncius alienæ cupiditatis, potentiæ, gratiæ venditum atque addictum ostenderit.

Si in Pio tam prudens, tam singulare Nuncius, tam divinum consilium probare se posse negabit; pro frontis pudor! male se in eo gessisse Pontificem Maximum, Principem suum aperte dicat, quem reipsa ab Oratoribus Regiis Romæ conventum, cum indignum clamarent facinus, tyrocinium Jesu Sociis ab Apostolico Delegato apertum, constat apud omnes, sic eos gravitate, constantia, aequitate, sapientia responsi sui aut placasse, aut certe redarguisse, ut omnium testimonio plus ex ore Pontificio Imperium, quam vim Imperii Regii in ea causa valuerit.

Verum quid de Pio VI. tum Nuncius sentiret, cum eam & admiratione quasi attonitum, & luctu, ac mœrore, & morbo, credo, graviore perditum, (sic enim velle significare videbatur,) de suo scilicet describebat, aliis definiendum relinquo.

Illud unum non ferendum ego vociferor,

Varsa-

Varsavienſem Nuncium, Pallavicinium, Aulicos illos Romanos, qui ſe in ea cauſa interpoſuerint, fictis minis, denunciatis diris, aſperrimis verbis, quibus Mallenſi infamiam, abdicationem, privationem honoris, muneris, poteſtatis, intentabant, Majeſtatem Romani Pontificis omnium ludibrio objeciſſe, quippe qui ſcirent, eos terrores futuros puerilia terriculamenta, qui ſcirent, Pium reipſa Mallenſis Vicarii ſui ea conſilia & prævidiſſe, & tacito conſenſu probaviſſe, & implicita voluntate facta voluiſſe.

Jam illud plane factum in Epiſtola fuiſſe, quod Mallenſem violati obſequii reum graviter peccaſſe Nuncius contenderet, paulo ante demoſtrabamus. Equidem pro comperto pono Epiſcopos non pro arbitratu ſuo, non pro oſtentanda auctoritate, non contumacis animi cauſa, poſſe ſine ſcelere hujuſmodi Edicta, Decreta, Brevia Romana cohibere.

Idem tamen contendo, nihil omnino Mallenſem in ea cauſa idcirco peccaſſe, vel quod Decretum Clementis non edixerit, vel quod ex Piani Brevis facultate tyrocinium aperuerit.

Sed cur actum, quod ratio vetat, rurſus ago? In eo potius Mallenſis peccaviſſet, ſi invita Imperatrice, ſi a Curia Romana non ſu-

blato hoc impedimento, si in tanta penuria Sacerdotum, nullis Roma sibi submissis Evangelii Operariis, tamen Breve Clementinum, cum manifesto sui ipsius periculo, cum certo catholicorum omnium illo in Imperio *discrimine*, illis Jesu Sociis palam denunciasset. Salus enim animarum lex sit summa, oportet, in Episcopo, si in discrimen adducatur.

Peccasset iterum Mallensis, si & jam creatus Delegatus Apostolicus, &, sine ulla exceptione, Censor Ordinum Religiosorum a Pontifice Romano creatus, non liberum Potestatis Apostolicæ arbitrium, jubente potissimum Imperatrice, in eam partem contulisset, ut Ordini Religioso Jesu Sociorum Novitios Socios aggregandos, ne res christiana in posterum penuria Ministrorum Sacrorum laboraret, decrevisset.

At enim aperiendo tyrocinio turbas Mallensis excitabat. Sic enim Nuncius per epistolam concionabatur. Illud ne potuit ex ore tuo, o bone Nuncie tam stupidum, tam vanum, tam futile prodire? Non videbas, te ludibrium omnibus debiturum, si ex tirocinio, in extremo Septentrione aperto, tempestatem, seditionem, turbas in alias Orbis oras perventuras esse diceres?

Jam vero, si ille Delegatus in Alba Russia

tiro-

tirocinium non instituisset, ibi turbatum fortasse fuisset: neque enim impune violari Majestatem suam; neque impune violari fœdera, de statu pristino omnibus ibi retinendo; neque impune sibi præcipienti resisti, Imperatrix sivisset; potissimum cum sese aliis Principibus postponi, cum ex aliorum Imperio velle curiam Romanam in ditione sua dominari; velle ex odio, libidine, potentia aliorum Ministrorum innocentiam suorum Civium, per vocem Romanæ Curiæ puniri; velle salutem Ecclesiæ Catholicæ in Alba Russia suffocari, aperte intelligeret.

At non sunt tamen in Epistola Nuncii a Nobis omnia reprehendenda, quin ego illud in ea vehementissime probandum existimo, quod, cum vellet Pallavicinio, cum vellet N. N., cum vellet Aulicis Romanis, impensius servire, eadem opera de illis male existimandi locum omnibus daret.

Quid enim Nuncius scribebat? Breve Pianum per Congregationem de Propaganda Mallensi missum eo *unice tetendisse, ut uti posset Mallensis opera regularium ad providendum Parochiarum indigentiis, & ad conservandam in ipsis claustris religiosiis regularis disciplinæ Sanctitatem*. Quid amplius? Hoc *unum* ajebat; Sancto patri expositum fuit, & hujus *unius*

un-

impetrandi causa implorata fuit auctoritas suprema.

Utrum vere, an falso scribat Nuncius, is profecto videbit, qui caput secundum Epistolæ a Pallavicinio Encyclicæ legerit pag : ubi ille Politicus Minister occinere Nunciis multo aliter videbatur. Hoc certe ex epistola Nuncii Varsaviæ Mallensi fiebat, cum illud *unice*, illud *unum*, legebat, vel sibi Nuncium mentiri, vel Pallavicinium, N. N., etiam mentitos multa tacuisse, multa dissimulasse, multa apud Pontificem contra fidem dixisse, cum eum postulata sua postulata Imperatricis, de tirocinio, de Jesu Sociis, celavissent.

§. XLIV.

Injurius in Imperatricem Nuncius.

NIhil tamen mirum, si ita confidenter Nuntius una cum suis ab Aula Romana conjuratis ageret, qui fretus eorum ipsorum gratia, fretus potentia Regiorum Scribarum, nihil jam antea & contra sententiam duorum Poloniæ Dynastarum, & contra Regis ipsius Poloniæ consilium, dubitasset potentissimæ Imperatricis animum, *mittendis Petropolim litteris, libellis, commentariis*, adversus se commovere.

Con-

Constabat enim multorum testimonio, Varsaviæ Nuncium *prius* rem totam cum Principibus Palatinis contulisse, ab hisque rejectum. Regem quoque ipsum consilii causa convenisse, quum ea omnia scripta mitteret, quæ mittere Petropolim, mittere ad Mallensem a Romana Aula jubebatur. Atque illi quidem Magnates, auditis ab ore ipsius Nuncii litteris, quibus tam audacter tam contumeliose, tam atrociter, tam insolenter, superbeque Nuncius Pontificius in Delegatum Apostolicum invehebatur, magnopere hominem ab incæpto deterrere cœperunt. Videret, ne sibi ab illa Imperatrice, cujus & Majestas, & Auctoritas, & Voluntas per Mallensis latus impeteretur, vindictam quæreret, neve suo unius capiti, fortunisque male consuleret: Augustam omnis ejusmodi contumeliæ, injuriæ atque indignitatis insolitam, cum Romana Aula acerrime adversus Nuncium acturam: Ipsum porro, romanarum artium non inscium, vel sibi satis, superque conscium, non debere, ac ne posse quidem dubitare, quin Aulici Romani a se omnem rei invidiam in eum ipsum sint collaturi, cujus nota, atque adeo majore aliquo malo, justas Imperatricis querimonias redimant.

De *Promemoria* vero, sive Commentario,

quem

quem coram illis recitasset, iterum ac sæpius hominem monere, ne eo temeritatis Nuncius progrederetur, ut nihilo justam minus, quam potentem Catharinæ Augustæ indignationem in Catholicos, ejus jurisdictioni parentes, commoveret, de quibus, retinenda Jesu Societate, ne bene quidem mereri, per Aulam Romanam Augusta sineretur. An vero tantam Imperatricem posse non indignissime ferre, & suam erga Jesuitas benevolentiam aliorum odio condonari, & beneficientiam, Regiorum Ministrorum maleficientiæ, videri postponi?

Ab his Sapientissimis Proceribus rejectus Nuncius, quod & tunc illis mirum, & postea, omnibus monstri simile videbatur, Regem ipsum adeundum sibi constituit, a quo non tam consilium peteret, quam auxilium, veluti jure suo, postularet, quo & tutius, & licentius Aulæ suæ animum adversus Augustam expleret. Omnino enim illud animo Nuncius imbiberat suo, sibi a potentissimorum Jesu Societatis hostium & contumeliæ impunitatem fore certissimam, & Purpuræ præmium non diutius abfuturum. Ergo a Nuncio Rex Poloniæ conventus, non solum opem, operamque suam ad tam insolens facinus negabat; verum auctor illi vehementer erat, ne prudens, & sciens vellet in odium Imperatricis, cujus his litte-

litteris esset Majestatem læsurus, incurrere.

At frustra & Proceres, & Rex amplissimus ruentem Nuucium ab injuria revocabant. Sine mora hic Moschico Oratori, Comiti Stakelbergio, Varsaviæ Commentarium ad Aulam Petropolitanam reddidit. Cujus exemplum & exscribam, & quæ in eo recitando Imperatrix animadvertisse dicebatur, infimæ paginæ ascribam.

§. XLV.

Comeutarius a Nuncio Petropolim missus obeliscis omnibus transfigeudus.

Domini Nuncii ad Comitem Stakelbergium, Augustissimæ Russiarum Imperatricis in Polonia Oratorem, Comentarius ad Aulam Petropolitanam mittendus.

CUm Dominus Stanislaus, Episcopus Catholicus Latinus, suam in Alba Russia sedem habens, Summo Pontifici Pio VI. feliciter regnanti significasset, sibi ad Parrochiarum bonum necessariam esse potestatem utendi opera eorum hominum qui vi votorum suo-

rum (Num. 1.) Regularibus Moderatoribus subjiciuntur, & simul invigilandi super horum ipsorum vivendi, agendique rationem, rei æquitate mature perpensa, Sanctitati suæ placuit postulatis annuere, & reipsa Rescripto suo concessit commemorato Præsuli facultatem utendi opera Regularium in iis omnibus, quae ad Albae Russie Catholicorum spiritualem utilitatem necessaria esse viderentur, & simul hosmet regulares intra legitimos officii sui terminos continendi.

Huic Rescripto consequens fuit arbitraria (N, 2.) Episcopi interpetratio, suomet ipsius postulato, & Sanctitatis suæ menti maxime, contraria, & repugnans, qua ipse sibi arrogavit jus permittendi hominibus suppressæ Societatis Jesu, ut tyrocinium stabilirent, ea si-

---

Num. 1.) Imperatrix, interpellato Recitatore *vi votorum suorum*, ait, mei in Alba-Ruſſia regulares Jesuitæ Regularibus Moderatoribus Jesuitis, ut compertum mihi eſt, modeſtiſſime subjiciuntur, quorum religioſiſſimorum hominum opera eſt omnino ad illarum Parrochiarum bonum neceſsaria.

Num. 2.) Rursus Imperatrix. Quid Ego audio? Illa neque arbitraria, neque Episcopi solius neque suo ipſius poſtulato contraria, neque Sancti tatis suæ menti repugnans fuerat interpetratio rescripto consequens; sed contra illa fuerat, & legitima, & a me præcepta, & Mallenſis poſtulato de quo Romam scripserat, me velle Jesuitas & salvos, & novo tyrocinio auctos, consentanea, & Pii VI. ſtudio, erga me satis teſiato, omnino repondens.

sine dubio mente ut Societas (Num. 3.) resurgere posset per admissionem novorum Sociorum, qui eam perpetuarent, contempta vera, & notissima ejusdem Societatis suppressione, quæ Sanctæ Sedis auctoritate facta fuit.

Ut autem majori strepitu, & clamore nota fieret ejusmodi agendi ratio, non satis habuit Episcopus, quandam suam super hac re Pastoralem Instructionem scribere, sed eandem typis publici juris fecit, cujus unum exemplar hic adnectitur (Num. 4.)

Pontificium Rescriptum, quod commemoratae Pastorali insertum est, vel ipsum solum perspicue ostendit, legitimam legalemque non esse extensionem, ab hoc Praesule facultatis, sibi concessæ, terminis datam. Quandoquidem qui quondam ad abolitam Societatem perti-

 ne-

Num. 3.) Hic non ſine riſu, ait Imperatrix, mortuos Ego antehac, non vivos, resurrecturos plane credideram. At in Alba hac Ruſſia mea adhuc viva *Jesu* Societas, (alibi nihil curo), & fuerat, &, ſiquidem vivam Ipsa, viva illic in poſterum erit; quam Ego in eo ſtatu, quo eam recepi, perpetuare decretum habeo, procul habita decreti Ganganelliani denunciatione, procul fœderum violatione.

Num. 4. (Unum modo exemplar adnectit Nuncius Varsavienſis reponebat Auguſta video quid agat, ille mecum quaſi ex jure tabulis, teſtibus agit, satis quidem otiose, quaſi ille nesciat, me jubente, Paſtoralem Inſtructionem typis publici juris fecisse Mallensem.

nebant, nullo modo nec expresse, nec implicite comprehendi possunt. Ipsa Pontificiæ concessionis pars *narrativa*, ut vocant, & *dispositiva* & *clausula*, quam evidentissime demonstrant, in ea Summum Pontificem non respexisse, nec contemplatum esse nisi illos, qui re & veritate nunc sunt, atque existunt in corpore Cleri Regularis (Num. 5.) (talis scilicet, qualis ille nunc est,) constituti, cogniti, & approbati in universa Ecclesia Romana idque ad *unicum* finem providendi Parrochiarum indigentiæ & Monasticam disciplinam in suo vigore conservandi. Hoc *unum* fuit, quod Dominus Stanislaus Summi Pontificis oculis, considerationique subjecit, & cujus *unius* consequendi causa Sanctæ Sedis auctoritatem imploravit. Facultates autem, quæ ad id concessæ illi fuerunt, simillimæ sunt iis, quibus plerunque insigniuntur Nuncii Apostolici.

Ille

Num. 5.) Quam multa, inquit Auguſta, non tam Nuncii Pontificii verba, quam legulæi, nescio cujus, Calumniæ? An non *Jesuitæ* mei, re severa nunc sunt, ut erant antea, in corpore cleri regularis Moschici, talis qualis nunc eſt? An Pius nesciebat, se Delegatum Mailensem iis modo religioſis Ordinibus cum ampliſſima poteſtate præficere, qui in corpore Cleri regularis Moschici, non in corpore, extra meum Imperium degenti, exiſterent? An non ante Breve suum certior factus Pius erat, Me Ganganellii Breve non denunciatum velle? Me priorem ſtatum *Jesuitis* meis mutatum nolle? Me meo jure *Jesuitis* tyrocinium poſtulasse?

Ille quidem scire debebat, concessam sibi facultatem certe sufficientem non esse ad præstandam eidem auctoritatem id instituendi, quod Papa destruxerat, quemadmodum ea ipsa facultete ei permissum non erat, novum aliquem Ordinem in Ecclesia Dei condere.

Dominus Stanislaus ignorare non poterat, Ex-Jesuitas, in ipso suppressionis suæ articulo, Regulares esse desiisse, & ex illo ipso temporis puncto (Num. 6.) homines istos ad nullum Religiosum Ordinem amplius pertinere. Quare evidens est, ipsum contra propriam conscientiam egisse.

Quod autem evidentius ostendit, Episcopum secum ipse pugnare, & scientem, volentemque facultatis suæ terminos prætergressum fuisse, illud est, quod in sua illa Pastorali Instru-

Num. 6.) Proh sancta Themidis jura! exclamabat Auguſta. Ego ex Lege *Naturæ*, ex Codice etiam Romano in meum Codicem illud juris transferebam nullam, ſine promulgatione, valere hujusmodi legem. Nunc demum, auctore Nuncio, audio, Jesuitas uno ſuppreſſionis Articulo, uno temporis puncto ſine Brevis promulgatione, ſine denunciatione etiam in Alba Ruſſia, factos fuisse Ex Jesuitas. Nova, & certe inaudita, etiam Romæ jura! In Polonia Scholæ piæ Clerici regulares, in Hispania Fratres Valetudiuarii religioſi, non uno quidem Suppreſſionis Pontificiæ articulo, non uno temporis puncto, facti fuere non regulares, non religioſi, exauctorati. Quod jus in Polonia, in Hispania valuit, in Alba Ruſſia non valebit? Perge Anagnoſta. Cupio jus ab N. N. conscientiæ moderatore, discere.

ſtructione ait, se Ex-Jesuitis licentiam permittere aperiendi tyrocinium, novosque ad Institutum (Num. 7.) Socios congregandi: quo quidem loquendi modo tacite confessus est, eum Ordinem destructum esse; siquidem vetitum erat facere id, quod ipse auctoritate privata facit, eo magis, quod Regulares Ordines, spectati ut tales, ad recipiendos tyrones ejusmodi permissione non indigent; & ne ipsi quidem Jesuitæ ea indigebant, antequam supprimeretur ipsorum Societas.

Quamvis hujusmodi animadversiones, observationesque sponte sua cadant sub oculos, mentemque legentium, Pontificiam facultatem, cum Pastorali Episcopi Instructione collatam; nec Imperialis Aulæ Ministri sagacitatem latuerit;

Num. 7.) Ecce tibi ajebat Auguſta, de Nuncio non bono factus Sophiſta malus N. N. Si Jesuitæ mei, quod jure communi poterant, id *non faciebant*; jam illud facere non poterant' doctore O. N. Si mei *Jesuitæ*, temporis, & Exiſtimationis bonæ gratia, sponte illi quidem sua, me quoque probante, facere tantisper intermiſerunt, quod antea jure suo fecissent, ut novos ſibi socios aggregarent, jam hoc ipso, ſine Brevis Ganganelliani denunciatione, judicio N. N. facti sunt *Ex Jesuitæ*: jam hoc ipso Jesuitis non licuit Delegati Apoſtolici auctoritate novitios ſibi aggregare. Non ante Jesuitæ Delegati permiſſione indigebant, ut tyrocinium aperirent, ne nunc quidem in Alba Ruſſia ea indigent. Quid tum vero? Si non necessaria auctoritate, & venia Delegati, uti tamen illi malunt propterea jam deſinunt esse *Jesuitæ*?

fuerit ; (Num. 8.) quoniam tamen hæc Episcopi Catholici agendi ratio parum considerata, tamque nota, & apud omnes pervulgata, posset aliquo modo Majestatis suæ omnium Russiarum Imperatricis animum commovere, atque in dubium revocare veram visibilis capitis Ecclesiæ Catholicæ mentem, circa suppressæ Societatis Jesu homines, inde visum fuit Eam in hoc veluti commenterio summatim exponere, ut Excellentissimus Dominus Comes Stakelberg., Russiæ in Polonia Orator, pro sua humanitate efficiat, ut hæ ipsa brevis expositio ad Imperialem Aulam perveniat, ad tollendam quamcumque dubitationem, & ambignitatem, quæ suboriri posset, & ad promererenda quæ vis alia beneficia, quæ emanare possent ex luculento patrocinio, quo Majestas sua, omnium

---

Nnm. 8.) Hoc unum scilicet reſtabat, ut importunus Monitor & Me ipsam inscientiæ socordiæque & Imperialem Aulam perfidiæ, & reticentiæ crimine N. N. latenter inſinulaet, queſi non Pontificiam facultatem cum Paſtorali Epiſtola ante Ego ipsa per me contulissem aut quaſi N. N. non novisset, Me & poſtulandæ facultatis, & Epiſtolæ illius edendæ, auctorem fuisse; aut quaſi Miniſtri Imperialis Aulæ mei, egregia scilicet sagacitate in persequendis veſtigiis apertiſſimae rei uſi, Me tamen celassent, quid Pius juris esse Delegato Apoſtolico voluisset; quid Delegetus juris ſibi usurpasset. Ludimur ab NN. cui haud parvo, faxim, ſtet iſte ludus.

nium Russiarum Imperatrix, Imperii sui Catholicos prosequitur.

Varsaviæ 7. Septembris 1779.

§. XLVI.

Quis omnium sensus de litteris Nuncii in Alba Russia esset.

QUid porro patrocinii pro se, pro Delegato Apostolico, pro Jesu Sociis, pro novo horum tirocinio Aula Petropolitana adversus Curiæ Romanæ accusationes susceperit, non ita multo post recte, atque ordine causam totam prosequeremur. Nunc quæ, & qualis fuerit vulgo sententia de istiusmodi Romanis & actis, & scriptis, & monumentis, ubi primum ea in communem earum gentium notitiam venerint, prius mihi arbitror brevi prævertendum.

Cum nemo in iis esset regionibus, qui Scribarum Regiorum odio, qui coitionis Anti-Jesuiticæ artibus, qui Regiæ potentiæ non datam antea Romæ sciret Jesu Societatis abolitionem, ubi primum rumor emanare in vulgus de Nuncii litteris, ac commentario, deque Pallavicinii Encyclica, cœpit, illico in il-

lis

lis regionibus Albæ Russiæ Poloniæ, Austriæ quædam Schedula, sine certo Auctore in manibus omnium erat, in hanc scripta sententiam.

Quas hoc tempore litteras ab Aula Romana a Congregatione de Propaganda a Pallavicinio Purpurato Papæ Ministro, ab N. N. Varsaviensi Nuncio ferri in causa Moschicæ Jesu Societatis videmus; si quis eas intus, & in cute perspicere, Scriptorumque illorum sensa velit ad vivum resecare, is, ne mentito, fallacique vocum splendore deludi se patiatur, hac breviuscula vel interpetratione, vel nominum facillima mutatione, eas sibi legendas existimet. Ubi inter legendum occurrent (& tertio quoque verbo occurrent) oculis illa magna, illa splendida, illa magnifica nomina *Sanctissimus Pater*, & *Sanctitas sua*, & *Dominus noster*, & *Pontificium Decretum*, & *mens Pontificia*, ne lubricus, atque mala manu adulteratus, ille splendor mentis aciem Lectori perstringat, leget, si sapiet, *Perditissimus Auctor coitionis anti-jesuiticæ*: *Non ferenda Potentia Conjurationis*: *Regina illa pecunia*: *Impium Gabalæ scitum*: *Mens Regiorum Scribarum*. Nunc enim causa ista tota Romæ per eosdem exulceratur conjuratos in Jesuitas Albæ Russiae, per quos antea innocentia totius Jesu Societatis factioni scelera-

tae, ac nefariae prodita vendebatur. Vale.

§. XLVII.

Mallensis modeste, & paucis Nuncio respondet.

INterea vero, cum missæ ab Nuncio litteræ altius, quam quisquam sibi facile persuadeat, in animum & Augustæ Imperatricis, & Curiæ totius Petropolitanæ descendissent; primus ille defensionis gradus ab interdicto publico fiebat, quo suis omnibus civibus Aulą præcipiebat, ne quis adversus litteras Romanas in ea Jesu Societatis causa ante scriberet, quam Aula Petropolitana læsam Augustæ suæ Majestatem vindicaret:

Quo ex interdicto facile est ab omnibus intellectum, privatim Apostolico Delegato fuisse eodem tempore ab Aula imperiali mandatum, ne ipse, pro se plus nimio sollicitus, Nuncio longiores litteras dare vellet. Ergo Delegatus Apostolicus brevem quidem epistolam sed omnibus modestiæ obsequii, reverentiæ charitatis notis insignem, veluti immemor objurgationis, ac contumeliæ ab N. N. sibi factæ, per Oratorem illum clarissimum Comitem Stakelbergium Varsaviam ad Nuncium in hæc verba mittebat. *Re-*

Responsum Episcopi Malleusis

ad Nuncii Apostolici

Epistolam.

DOmine: Excellentissimus Comes Czernizevius, Generalis Exercituum, Marescallus, & Albae Russiae Gubernator, hodie mane ad me missit Exc. tuæ Rev. litteras 7. Septembris anni superioris 1779. datas. Circuitus ipse, quem hae litterae fecerunt, quemque meae quoque facere debent, nec non Supræmae Dominae meae Russiarum Imperatricis declaratio, mihi apud Exc. tuam Rev. sint pro responso, atque Excusatione. Ego Exc. tuam Rev. oro, ut aequi, bonique consulat religionis principia, quibus ad agendum ducor, quae satis nota sunt Exc. tuæ Rev., quandoquidem Supraemae Russiarum Dominae placuit in illametipsa declaratione meum testificari studium, debitam Aulae Romanae a me habitam rationem, ardorem, quo *veris Ecclesiæ utilitatibus*, emolumentisque, studeo, curam ac sollicitudinem, quam habeo mihi promerendi gratiam & benevolentiam Domini mei regnantis Pontificis. Ad hunc unum, quem mihi proposui scopum, actiones meas omnes di-

rigo, & in hoc ipso proposito perseverans, sum.
Exc. Tuæ Rev.

Mohiloviæ 29. Junii 1780.

Humill. & Additiſs. Servus
Stanislaus Episc. Albæ Russiæ.

Quam ipsam Mallensis Epistolam cum Stakelbergius, cujus sub fasciculo fuerat Varsaviam allata, ad Nuncium remitteret, & hanc schedulam brevissimam scribebat.

Schedula Comitis Stakelbergii ad Nuncium Apostolicum.

Nuncio N. Comes Stakelbergius S. P. D.

„ MEum esse existimo, ut quam possim citissime, hanc ad Te Mallensis Episcopi inscriptam Epistolam Exc. Tuæ Rev. reddendam curem; qua equidem libenter usus occasione, meam erga Exc. Tuam Rev. observantiam denuo profiteor. Vale.

Die 12. Julii 1780.

Ad Mallensem ut paucis redeam, Ille cum & jussus ab Augusta fuisset, quam brevissime pro se Nuncio rescribere, & compertum jam illud haberet, rem causamque suam ab Aula

Petro-

Petropolitana apud Nuncium jam eo tempore fuisse diligentissime actam, quo ipse rescribebat; sibi nihil opus esse putabat, ad accusationis capita, tametsi nihil sibi factu facilius videretur, singula respondere.

§. XLVIII.

Respondet Nuncio Orator Stakelbergius.

Ergo, quod dicere institueram paulo ante, quam Delegatus Apostolicus Nuncio rescriberet, jussu Imperatricis, Aula Petropolitana duabus epistolis Nuncio responderat: altera ab illo Clarissimo Viro, Comite Stakelbergio, scripta: altera Petropoli ad Nuncium per illum ipsum Oratorem missa: qua utraque ex fide bona, ut inter bonos bene agier oportet, causa tota Moschicæ Jesu Societatis luculentissime tractabatur.

Ecce vero tibi priorem Oratoris Moscovitici Epistolam, mihi plane visam non alia latinitate donandam, quam qua olim ab Septentrione donatam accipiebam. Ac ne prolixsa quidem ejus infimæ oræ animadvertiones allinendas arbitror, cum ipsa si minus latinæ, at certe more majorum Romanorum sine fuco

ac

ac fallaciis, sine strophis, ac calumniis loqui videatur. Nihil in illa erit opus obeliscis, nihil Aristarchi alicujus censoris nota severiore. Itaque in hæc verba Stakelbergius Nuncio scribebat.

Comitis Stakelberg pro defensione Instructionis Pastoralis ad Nuncium N. N. Responsio.

NOn dubito, quin Excellentia Tua Rma in Imperialis Aulæ Responsione, quam hic includo, argumenta reperiat, quibus Aulæ Pontificiæ super Episcopi Albæ Russiæ Edicto sollicitudines, & anxietates sedare possit. Illud addere debeo, primarium Augustissimæ Imperatricis meæ Administrum, a me edoctum de Exc. Tuæ Rev. sentiendi ratione, plurimum confidere suavissimæ indoli, & Exc. Tuæ Rev. ad pacem innatæ propensioni, fore, ut negotium ita transigas, atque perficias ut utrique Potestati æque fiat satis; quæ profecto Potestates nihil aliud spectant, nisi utilitatem, & publicum Civium sibi subditorum bonum, quo in bono *procurando altera non potest ab altera sejungi*.

Ad me quod attinet, valde lætor Aulæ

meae

meae (1) mentem mihi penitus declaratam esse, cujus interpretandae hac quidem occasione mihi commissum est munus. Ex firma fiducia, qua Ego animi mei sensus Exc. Tuae Rev. aperire volo, ipsa cognoscit quanti eam faciam. Ante omnia vero oportet, ut Ego Exc. Tuam Rev. de peculiaribus mentis meae cogitatis certiorem faciam, de quibus inter nos convenire debet.

Prorsus mihi persuadeo, Exc. Tuam Rev. in hoc assensuram mihi esse. In re ejus naturae qualis est ista de qua nunc nobis sermo est, in qua nimirum agitur de populi *felicitate*, ac *religione*, politicen, & veritatem uno (2) eodemque ore loqui debere, & quod inde consequens est, firmam, inviolatamque utrinque fiduciam stabiliri oportere; hoc praemisso.

Fateor, magnam me inde capere laetitiam, quod

(1) Quam cuperet ex aequo ae bono Imperatrix causam totam decidi, cui non ex his verbis pateat? Illa ipsa ſine allegatione, ſive interpetratione, ſine opera Oratoris, cum posset Cemmentarium, id quod nos facili negotio ante fecimus, refutare acerrime, tam rem convenire ſibi amice cum Nuncio humaniſſime malebat.

(2) Digniſſimam Chriſtiano Moderatore vocem, Macchiavelliſiſtis hodiernis irrisam? Si ex hac rata ſententia, qua certiorem aliam hominum societas vix habeat, bene semper Imperio cum Sacerdotio convenisset; neque nunc Respublica pacem, ac salutem, neque Res chriſtiana fidem, ac pietatem, ubique gentium in extremum adducta discrimen conquereretur.

quod videam Aulam meam perpendere, ac spectare facultatem aperiendi tyrocinii patribus Societatis factam, tanquam peculiare quoddam supremi Principatus in sua ditione mandatum, atque adeo, ut Aula ipsa loquitur, tamquam *rem domesticam*; (3) qui quidem loquendi, sentiendique modus omnem omnino tollit speciem laesae praerogativae, & extensionis auctoritatis supra jura supremi Principatus, quae nullo modo tangi, & violari possunt, praesertim ex parte exteri Principis, & in detrimentum cujusdam supremae Potestatis, quae dignitatis, supremaeque auctoritatis suae in Imperio suo diminutioni non assuevit.

Non debet igitur sermo ad alia excurrere, sed in re sistere, ut ipsa in se, & per se ipsam est. Si aperiendi tyrocinii facultas sine ulla mentis præoccupatione spectetur, mecum Exc. tua Rev. cognoscet, commendavitque fructus maximos (4) quos Albae Russiae Catholici

(3) In re modo æconomica, non dogmatica, non ethica, ex jure gentium, *quisque domi suæ rex*, ubi civilis poteſtas non intercedat. Quando magis supremus Civitatis Princeps sui ſit arbitrii jurisque, ne ab alio Principe externo domi suae impediatur, quominus ipse suae civitati suorumque *Civium saluti* consulat?

(4) Utinam non hodierna paſſim experientia, quanta ſit vis in hac oratoris clariſſimi argumentatione oſtendisset! *Ego* tamen ejus

percipere poterunt ex stabilitate rei, suapte natura maxime conducentis ad cultam educationem promovendam, & ad dissipandas superstitionis tenebras in populo, & in parte Cleri disseminatas.

Gradus, & dignitas, quam Exc. Tua Rev. in Ecclesia obtinet, & quas sibi acquisivit, cognitiones multo, quam mihi, facilius Exc. Tuæ Rev. sub oculos ponent innumera mala, quæ ex superstitiosa ignorantia in divinum cultum derivantur, quorum unicum efficax, constanque remedium in eo positum erat, ut Juventutis educatio pio, docto, & permanenti hominum cætui committeretur. Quo alio

ejus, conclusam ratione, orationem breviter in omnium oculis deſigere conabor. Nulla populo peſtis capitalior vel errore, ignorantia, superſtitione, vel impietate Atheismo, Philosophia id quod Nuncius, maxime Pontificius non poſſit non fateri. Et nulla adversus errorem, ignorantiam, superſtitionem adversus item Impietatem, Atheismum, Philosophiam salus visque potentior, quam excellens, Populi eruditio, atque educatio quod totum ratio, usus, sensusque communis evincit. Atqui ipsa (mitto alibi, forsan autem ubique gentium) in Alba Ruſſia, teſtis eſt experientia, omnino nullam eruditionem, nullam populi educationem posse reperiri praeſtantiorem ea, quae ab *Jesu* Societate, ab illo corpore & docto, & pio, & induſtrio proficiscitur; de quo non male ille Censor Britannus. *Cum tales ſitis ajebat, utinam Noſtri essetis.* Quare nulla salus Albae Ruſſiae certior, quam ſi, quae ibi Jesu Societas salva, & incolumis perſiſtet, cultura sua, doctrina, educatione a populo errorem, ignorantiam superſtitionem, Impietatem Atheismum, Philosophiam longiſſime arceat.

incitamento, & quibus aliis remunerationibus sperare poteramus opportunitatem congregandi in Albam Russiam Viros, litteris bene instructos, & tales, ut magnis instituendæ Juventutis consiliis optime responderent? Non minor, ad hoc assequendum, rerum mutatio requirebatur, quam illa, quæ tantum excitavit rumorem; videlicet Jesuitarum expulsio ex christianitatis Provinciis, quæ ad Meridionalem Mundi plagam positæ sunt: quo fieret ut ad Septentrionem nostrum transirent, & apud Nos habitarent ii homines, qui ad excolendam litteris, & pietate Juventutem Instituti sui legibus sunt astricti. Itaque patriam illis offerre certam, & stabilem pro iis ipsorum patriis, ex quibus sunt ejecti, congregare dissipata (5) membra Societatis, quæ apud nos *sine ulla mutatione* persistit, Eandemque perpetuare, eique commoditatem præbere, se novis Alumnis propagandi, id que, ut publicæ institutioni, quod permagni interest, quam, diligentissime serviatur, ut Aula mea expresse tevificatur, ac profitetur, mihi profecto, ut

(5) Quam multa, quam paucis ſignificat Orator! Eorem deducere videtur, ejusmodi Imperatrici suæ videri operam *Jesu* Sociorum in Juventute ad doctrinam, pietatem, humanitatem civilemque cultum erudienda, ut, ſi in Alba Ruſſia salvam Jesu Societatem non haberet ejus dispersa membra, undecumque collecta, esset ad suorum civium, utilitatem convocatura.

ut verum fatear, quidam prudentiæ, & humanitatis actus videtur, minime vero Sacrorum Romæ jurium violatio, nec hierarchici Ordinis pertubatio.

Quo Religio magis est illustrata, & culta, eo firmiora sunt fundamenta quibus innitur. Argumentis, & probationibus non eget hoc principium. Quantam inde voluptatem (6) capere non debet Sancta Sedes, cum Augustissimam Imperatricem Nostram videat, in id magnopere intentam, ut Romanam Instructionem curet in suorum utilitatem Populorum qui Romanam communionem tenent? Eo magis, si observetur, id evenire in eo Imperio, quod diversitatem cultus pati non debe-

 ret,

(6) Hic vim maximam Oratoris fortasse non assequebatur Nuncius. Atque utinam hodie plebs ipsa christiana non una voce eam comprobasset, dum post eversam Jesu Societatem, alibi periisse jam catholicam religionem, alibi in periculum passim vocari lamentatur! Me quidem certe juvat illius vim concluſionis aperire planius.

Quo res ſit chriſtiana vel firmioribus nixa fundamentis, vel certioribus munita præſidiis eo vehementius Eccleſiæ Roman' lætari oportet. At tanto ea erunt vel firmiora fundamen' vel certiora rei chriſtianæ in Alba Ruſſia præſidia, quant' ibi fuerit præſtantior populi cultura, Juventutis educatio, c'ium inſtitutio. Hæ autem artes bonæ salva ibi Jesu Societa' florebunt; eadem sublata, ut non penitus pereant, ce' miserum in modum ſi ex malis alienis sapere volumus acebunt. Itaque in Alba Ruſſia Jesu Societatem, & maner' & foveri, & nova veluti sobole in Tyrocinio succrescere E'eſia Romana summopere debet non velle pati modo, v' n majorem in modum & optare, & gaudere, & prope dic' triumphare.

ret, & cui unitas sua sibi maxime Cordi est. Quid evenisset, si heterodoxis suasionibus Inimicorum Romæ aures datæ fuissent? Quam aliena sit ab hujusmodi agendi ratione Augustissima Imperatrix, nemo melius quam Exc. tua Rev. novit. Novae contestatæque significationes, suae erga Sanctam Sedem indulgentiae Cura, & solicitudo, qua ipsa per summam benevolentiam commoda, & utilitates quaerit ac sustinet eorum, qui Romanae communionis sunt, Argumenta de rectissima ejus mente suppeditant, quae nemo inficiari poterit. Quare ipsa satis mirari non posset, non solum, si quis id carpere auderet, quod ipsa in sua ditione decrevit & mandavit, quod est de *classe rerum mere civilium* & ad politicum Imperii sui regimen pertinens; verum etiam, si Albae Russiae Episcopo culpae verteretur permissio aperiendi domus Tyrocinii Jesuitis factae. Hoc ille cum fecit, Supremae Dominae suae mandata est executus, in eo rerum articulo, in quo ipsi aut cum debita summa submissione Augustissimae Imperatricis jussis parendum erat, aut a debita obedientia, per qua turpi, & minime toleranda contumacia recedendum.

Summa cum ingenuitate Animum meum Exc. tua Rev. aperui, nec dubito, quin ipsa

pari

pari animi candore, fiduciaque mecum agat, cum haec, & naturae ipsi, & principiis Exc. Tuae Rev. congruant.

Postremum cognitio, quam Augustissimæ Dominæ meæ mente habeo, novam mihi lætandi occasionem affert, propterea quod & ipse in partem venio fiduciæ, quam Augustissima Imperatrix in Sancto Patre, cujus voluntas adeo est in eam propensa, collocavit; & cum non possit, non commendare paternam Romani Pontificis curam, & sollicitudinem, ut in Russiarum Imperio majores in dies progressus habeant res, quæ Ecclesiæ suæ intersunt, libentissime ei curæ, sollicitudinique obsecundare parata est, & mutuam animorum consentionem, conspirationemque confirmare in iis omnibus, quæ ad Populorum, religionisque felicitatem, & bonum pertinent. Atque hæc sunt, quæ &c.

Exc. tuæ Rev.

Varsaviæ Mense Octobri 1779.

Humillimus, & Additissimus Servus
Comes de Stakelberg.

§. XLIX.

§. XLIX.

Exemplum Epistolæ jussu Imperatricis, Nuncio scriptæ.

HUic Epistolæ Oratoris Moschici, ex qua, si cum litteris Aulæ Romanæ comparetur, nemo non intelligat, quam sapienter illud dici soleat: Ingenium ab odio, amicitia, ira vacuum, si intenderis, verum *providere*; si contra animum libido possideat, nihil valere ingenium, quod libidini simul, & usui parere nesciat. Huic ergo Epistolæ adjuncta altera epistola; nomine Imperatricis Augustæ ad Nuncium Varsaviensem a Petropolitana Aula scripta, Pontificio Nuncio reddebatur: Eam ipsam totidem verbis Lectoribus referam, ne cui videar velle Soli, quod ajunt, mortale lumen afferre.

Petropolitanæ Aulæ litteræ, quibus pro tuenda Pastorali Instructione respondetur ad Nuncii litteras a Comite Stakelberg adnexas.

EFficax, & nemini non notissimum Patrocinium, quo Augustissima Imperatrix in omni

omni tempore Romanæ Ecclesiæ homines protexit, Sanctæ Sedi jampridem persuadere debuerat, quantopere ejusdem rebus propitia esset Majestas sua Imperialis, præsertim ex quo Alba Russia ejus Imperio adjuncta fuit, ac restituta; id peculiari quodam modo factum fuit palam, ac manifestum. Eo ex tempore Imperialis Aula Russiæ nihil habuit antiquius, quam ut suam erga Romanam Aulam, quibuscumque rebus posset, indulgentiam manifestaret.

Itaque cum ageretur de re *politica*, & hierarchica in recuperatis Albæ Russiæ Provinciis exigenda, & revocanda ad certam regulam, ac normam, quæ inter omnes æquabilis & quoad ejus fieri posset, una esset omnibus; Imperialis Majestas sua, unis humanitatis, ac tolerantiæ principiis inhærens, tantum abfuit, ut catholicos Romanos, sibi recenter subditos, ad aliquid compelleret, quod ipsorum conscientias turbaret, & sentiendi libertatem tolleret, ut potius ipsos in eo statu conservare voluerit, in quo ipsi felicitatem suam cognoscerent, qua sub dominationem adeo beneficam, benignamque venissent.

Hac ob rem privilegia, & immunitates, quibus liberaliter, largeque gaudebant Ecclesiastici, Sæculares, & Regulares, Institutaque ad Juventutis educationem illic jam admissa, voluit

luit suprema Domina, ut hæc omnia omnino sarta, tecta, integra conservarentur, nec aliam conditionem ad eorum continuationem apposuit, nisi inviolabilem fidelitatem, & accuratam observationem earum rerum omnium, quæ a bonis Civibus erga Supremos Dominos suos præstari debent. Dum ipsi nullam præbent occasionem subeundi judicii de earum rerum transgressione, firmissime certi esse debent de solemni promissorum fide, ab Augustissima Imperatrice illis sanctè data.

Et quidem. Catholici Romani Augustissimæ Imperatrici subditi, non obscuris hactenus argumentis constantem fidelitatem suam monstrarunt, & propter eorum diligens, atque adeo ardens studium in iis exequendis; quæ exequi debent jurium maxime sacrorum possessionem jam adierunt, illisque jam fruuntur utilitatibus, atque emolumentis, quæ ipsis fuerant promissa.

In his utilitatibus continetur Juventutis Institutio, Religiosorum hominum Societatis Jesu curæ, ut ante, commissa. Iis, qui publicæ rei præsunt, Jesuitarum operam inspicientibus, atque attente observantibus, *plane satisfaciunt* laboriosæ eorum curae & fructus, qui ex eorumdem opera, laboreque percipiuntur. *Fasne* esset Albæ Russiæ habitatores adeo *pretiosa*

tiosa Juventutis institutione, educationeque privare .

Atque id quidem eveniret, si ipsi *exercitio ministerii sui prohiberentur* , aut (quod in idem recidit) nisi eorum Instituti conservationi, permanentique continuationi provideretur .

Aliarum Regiorum exemplo planum fit, non potuisse alicubi alios idoneos inveniri, qui *amotis Jesuitis* , in eo munere sustituerentur .

Cur igitur ministerio suo nunc eos privabimus , qui Juventutis educationi, atque adeo publico bono omnes curas suas consecrarunt ?

Has ab causas , & principia, propria omnis supremi Principatus liberi, suique omnino juris & qui nemini rationem reddere debet de quavis subditorum sibi hominum classe , quam supremus quisque Princeps ad interius , domesticumque Imperii sui regimen conservatam velit, non potest Imperatrix exteras opiniones admittere super iis , quæ vasti Imperii sui bono conducit fieri .

Quandoquidem ei placuit semel approbare ea omnia , quæ constituere Albæ Russiæ Episcopus judicavit , e re fore ad perpetuandos Religiosos Alumnos, qui post instituendis Adolescentibus in iis Provinciis operam suam na-

vare debebunt, & ad stabilem, firmamque reddendam perseverantiam Instituti, ad Juventutis educationem adeo utilis, Majestas Sua nihil aliud optare potest, nisi ut Sancta Sedes, quæ in Episcopi Stanislai Siestrzencevviez Edicto nihil sane repertura est, quod rationibus obsit, penitus sibi persuasum habeat, illud alio non spectare, nisi ad rem demesticam, *quæ quidem de actoritate plenaque Majestatis suae Imperialis cognitione peracta est.*

Hæc unice spectavit Augustissima Imperatrix jussis suis, quæ & initio, & in ipso progressu ad Catholicorum Romanorum sibi subditorum utilitatem manifeste, evidentenque tendunt per ipsa, cum minime pendonant a sentiendi, agendique ratione, ac principiis, quæ alibi fortasse convenire, ac decere possunt, sed nullo modo influere in id, quod Albæ Russiæ Episcopus ante alia omnia debet adimplere.

Neque ille propterea erga Romanam Aulam cui uti Catholicus Romanus devinctus est, debitæ observantiæ deest, imo partibus omnibus satifaciendo, quibus ab homine & Cathoco, & Supremo cuique Principi subdito satisfieri oportet, dignum se præbet, qui publica, constantique protectione ab utraque Aula sustineatur, quod quidem Aulæ utriusque patroci-

troci-

trocinium ei debetur, ob exercitium omnium virtutum, quae Paſtorem in medio gregis ſui diſtinguunt, probitate, pietate receſſu a diſſentionibus, & contentionibus, a quibus ejus indoles eſt valde aliena, & ſollicitudine, qua veris Eccleſiae ſuae commodis, atque utilitatibus ſtudet. Atque haec ſunt, quae ſupremam ejus Dominam permoverunt, ut tanta cum beneficentia proſequeretur, ut quae ipſum optimemeritum reddunt, dignumque, ut Sancti Patris benignitate commendetur.

Petropoli menſe Octobri 1779.

§. L.

Praedicatio Sapientiae in Auguſta Imperatrice.

EQuidem nihil divinae huic Epiſtolae ad Summam Sapientiae civilis in Catharina Imperatrice gloriam addi poſſe, cum planiſſime videam, non poſſum tamen meritiſſimae praedicationis teſtimonio, quod utinam nulla temporum oblivio deleat, non memores, non gratos, non tantae Majeſtati devotos, animos profiteri eorum omnium, qui maxima primo voluntate rite Jeſu Socii deinde exauctorati

sine intima alicujus criminis conscientia, etiam nunc Summo animi nostri studio esse Jesu Socii vehementissimae optamus. Macta sis ergo, Imperatrix Catharina, Augusta Patrona, & ista Majestate Imperii tui, & gloria domi, bellique, communi praedicatione omnium in terris maxima, quae vel ex ista una epistola tua, nihil Amplitudinis debere Te fortunae, omnibus apertissime ostendis, omnia ista quidem decora in Te maxima, ab illo Supremo Rectore rerum humanarum Deo, tuis virtutibus in alio non ante Imperio, atque in Tuo, aeque conspicuis, praemia nunc reddi una vox est ubique omnium bene sentientium. Isti tuo studio, erga veram Religionem accenso; isti tuae in fœderibus servandis constantissimae justitiæ; isti Beneficentiæ erga omnes perpetuae; isti providentiae, & in optima Civium tuorum disciplina & in Juventute potissimum optime educanda diligentitissimae patrocinio praeterea innocentiæ, aliena potentia oppressae, a te suscepto; testimonio. Tuis istis Jesu Sociis, ad bonum commune natis verissime reddito; libertati judicii, arbitrii, Imperii, nullorum neque gratiae, neque potentiae, neque calumniae addictae. Defensioni Mallensis Episcopi in officiis & Majestati tuae & Plenitudini Pontificae auctoritatis recte, atque ordine ab

eo

eo persolvendis, a Te receptae, novo demum religiosissimorum Ecclesiae Catholicae Sacerdotum vel Seminario, vel tirocinio, vel ludo, Tuis auspiciis denuo in Alba Russia aperto, debere te omnia & in pace ornamenta, & in bello subsidia, & in praeliis tropaea, & in Imperio victoriae perpetuae incrementa, & in universo terrarum orbe communia omnium Gentium, Populorum, Civitatum preconia, veluti clarissimorum meritorum clarissima munera, ab aequissimo ac potentissimo Tibi Numine persoluta, & verissime potes, & modestissime debes, Europae totius judicio, in acceptis referre.

§. LI.

Nuncius fingit se dubitare de sententia Imperatricis.

VErum jam ipse quidem invitus eo, quo institutae orationis cursus revocat ab hac Imperatricis omnium maxime praedicatione, ad novas Nuntii consiliorum artes revertor.

Is & si oculis ipse videret suis, manibus etiam teneret, in litteris Imperatricis, in litteris Mallensis Episcopi testimonia & luce clariora, & omni exceptione majora, quidquid in ea Moschuanae Jesu Societatis causa actum esset, id totum

totum & sciente, & prudente, & praecipiente, & vidente Augusta factum esse Imperatrice; tamen eo confugiebat, ut per simulatam dubitationis speciem de Augustæ ipsius vera & germana voluntate; quasi ea res tota vel gratiæ Jesuitarum vel potentiæ Prætoris Albæ Russiæ vel mutatæ Mallensis sententiæ vel alicujus Petropolitani Ministri patrocinio videretur assignanda; (quod enim ipse, opinor, in Aula romana accidisse viderat adversus Jesu Societatem, hoc ipsum Petropolitana in Aula pro reliquiis illius tuendis factum de industria suspicari volebat) eo, inquam, Nuncius malitiose confugiebat, ut Varsaviæ ab Oratore Moschico, & conceptis quidem verbis quæreret; *voluisset ne, jussissetque Imperatrix ipsa per se in Alba Russia tyrocinium Jesuitis aperiri?* Qua Nuncius callidiore rogatione duabus ire obviam suspicionibus, sibi incommodis, volebat: alteri, ne ex litteris Aulæ Petropolitanæ, quas in vulgus exituras videbat, in ipsum turpioris calumniæ macula redundaret: alteri; ne turpis vanitatis, perfidiæve nota ab Aula Romana aspergeretur, cui per litteras non semel antea confirmasset, patrocinium Jesuitarum, non Imperatricis voluntati, in utrumque per se æquæ, perirentne penitus, an ibi intermortui viverent, Jesuitæ sed majoris

joris alicujus Ministri esse tribuendum studio; seque nondum animum de perdendis illis abolitæ Societatis male sanis reliquiis, sibi invisis, despondisse.

At ille prudentissimus Imperatricis Orator & importunitate curiosi rogatoris offensus, & calliditate Nuncii nihil delusus, in hanc sententiam respondebat. „ Suas esse sane partes, rem Imperatricis quidem publicam, suæ commissam fidei, recte, atque ordine apud *Aulam Polonianam* gerere; quid autem in ditione Imperatricis, aut factum antea fuerit, aut in præsentia fiat, aut sit futuram postea curiosius scire velle, prorsus a persona alienum esse sua.

§. LII.

Notata temeritas Nuncii litteris Imperatricis.

NUncius hac spe frustratus, cum constitutum apnd se, firmumque in animo haberet, sua valde interesse, aliquid de dubia voluntate Imperatricis in ea causa subtilius Romam scribere, non dubitavit, Curiam Petropolitanam de sententia animi Imperatricis, in aperiendo Jesu Sociis tirocinio, consulere, quasi fidem illius nomine scriptis ad se litteris non habendam existimaret. Sed

Sed quod dici vulgo solet *Malum consilium fuit Consultori Nuncio pessimum* forte enim, rei suæ causa, per illud temporis Prætor Albæ Russiæ, Comes ille Czernicevvius, qui potissimum a Nuncio malitiosa quæstione, quasi patronus unicus Jesu Societatis, latenter insimulabatur, sese Petropolim contulerat. Is jussus ab Augusta, quæ non leviter a Nuncio fraudulentissime moroso, offensa esset, ejusmodi litteras eidem Nuncio rescripsit.

Zacchariæ Comitis Czernicevvi ad Nuncium Pontificium Epistola.

Rev. & Excell. Domine.

„Quae ab Albae Russiae Episcopo facta sunt, utrum cum approbatione Supremae Dominae Nostrae, facta sint, necne; scire cupiebat Exc. tua Rev. Ego igitur, ut venerandis ejusdem Imperatricis jussis obtemperem, Exc. tuae Rev. notum facio ejus nomine: Quaecumque fecit, & facturus est Albae Russiae Episcopus, omnia facta esse de expressa ejudem Majestatis suae Imperialis voluntate ab eaque unice profecta, sciente, &

con-

consensciente Papa, (*a*) cujus mentem Majestas sua optime novit.

„ Illud insuper addere debeo, ut ejusdem supremæ Dominæ mandatis paream, Majestatem suam cum indignatione intellexisse temerariam audaciam, qua nonnulli *exterrarum Nationum Administri*, *Romæ commorantes*, parum reverenter de iis locuti sunt, quæ ipsa in Imperio suo statuit, ac decernit. Multo autem magis mirata est Majestas sua, quod in Aula ipsa Romana plures inventi sunt, qui obloquendo non dubitaverint ea improbare, quæ ab ipsa facta, & facienda sunt, cum tamen ea omnia in gratiam rei catholicæ Ro-

(*a*) I nunc, & cum Auguſta jubente Aula Petropolitana confirmet in causa illius Jesu Societatis, *sciente*, & *consensciente Papa*, cujus mentem Majeſtas Imperialis *optime novit* crede iſti Ephemerio Romano Nugatori, qui in acta sua romana, ditiori licitatori ferme addicta, totidem transcriptam verbis schedulam, ſibi Romae ab Oratore regio quodam imperioſius missam credulis objiciat: ubi impune, sed non omnino gratis, mentiretur, Schismaticos in Alba Ruſſia Jesuitas omnia contra Imperium Papae nefarie, ac sacrilege esse molitos.

En erit unquam, cum ſine capitis periculo licebit veritati litare? Novimus iſtius mali commatis Adminiſtros, exterarum Nationum Romae commoratos. Novimus *istos in Aula ipsa Romana plures* de Imperatrice Auguſta, quam ſingulis menſibus, ſingulas, obire mortes praedicare solerent, peſſime loqui solitos. At eos nunc honoris causa non a nobis nominatos, poſteritati indictos relinavimus, quae diris omnibus eorum memoriam, omni scelerum infamia contaminatam, devoveat. quamquam aliquot ex iis Miniſtris jam hæc ipsa aetas infamia, dedecore, ignominia, carcere punitos videat.

manæ facta sint. Et hæc tantum habui, quæ scriberem.

Exc. Tuæ Rev.

Petropoli mense Octobri 1780.

Comes Zacharias Czernizevv.

Atque hæe sunt ea monumenta quæ possumus constanter affimare, partim ab Aula Romana, partim a Curia Petropolitana in causa illius Jesu Societatis fuisse versata.

§. LIII.

Petropoli contra Mallensem Legati Regii frustra laborant.

POst scriptam ab Czernizevvio ad Nuncium epistolam, quam paulo ante exscripsimus non ab immortali odio, non a perdito consilio discesisse eos & exterorum Principum Romæ Ministros, & eorum conjuratos in Jesu Societatem Romanæ Curiæ Aulicos, certissima cujusdam epistolæ fide, & si ab auctore in aliis rebus incertissimo scriptæ possumus etiam confirmare.

Ad manus enim nobis est præclara Epistola

la, cujus jam proferemus exemplum, ex qua omnibus constabit, causam illam totam in Aula Petropolitana de integro ab Oratoribus duobus regiis & Hispano, & Gallo fuisse instauratam. Quasi vero, quod rei æquitas, quod jus canonicum, quod jus, civile ab Augusta concedi non esset passum hoc ipsum artibus, minis, precibus conjuratæ factionis esset Imperatrix invictissima Oratorum Regiorum vel ambitioni, vel gratiæ, vel potentiæ, contra Mallensem, contra Jesu Socios, contra tirocinium datura.

Ergo ex epistola, quam Pallavicinius e Vaticano Palatio die quarto Martii 1780. ad M. A. tunc P. nomine Romæ Oratorem, nunc jam scribebat, duo omnibus constabant: alterum, M. A. fuisse pollicitum Pallavicinio, sese officia sua apud R. P., quæ non inania crederet ad exitium Jesuitarum futura, interpositurum: se enim confidere, ab Imperatrice R. suum assequuturum ut a patrocinio, & Mallensis, & Jesuitarum desisteret.

Alterum, Pallavicinium melius factu indicasse, si Oratores, Hispanus, Gallusque, rem illam totam Ab Imperatrice extorquere niterentur, quacum essent jussi a Regibus suis accerrimè agere; quam si M. A. ad eam allegaret. Credo enim Pallavicinium & auctoritati M. A. apud R., & voluntati de appellanda

da Imperatrice diffisum, opera Romæ Oratoris, ambitiosi magis, quam probati, uti noluisse.

En tibi jam Epistolam, sive longiorem æquo *Schedulam* Lazari Opitii Cardinalis Pallavicinii, SSmi Dñi Nostri PII VI. a Sanctioribus secretis, ad Dñum M. A. 4. Martii missam, datam vero ex ædibus Vaticanis 25. Februarii 1780.

,, Ad humanissimas quod attinet, venerandasque exhibitiones, Sanctissimo Dño Nostro jam pridem ab Illmo M. A. factas nomine R. P. occasione mandati, quo Mallensis Episcopus Ex-Jesuitis cujusdam instituendi tyrocinii potestatem fecit, Sanctus Pater, cum eas inaudisset, ostendissetque, quam grata sibi esset, atque accepta R. voluntatis propensio, quamque ei grato animo responderet; eidem Domino M. A. significari jussit. Circa ea quæ de ipsius Domini M. intelligentia (1) & interpo-

(1) Si hanc Epiſtolam Pallavicinius non ea ſide scribendam censebat, qua ſide Encyclicam ad Nuncios scripſisse a nobis oſtendebatur, eſt profecto cur credamus M. A. & coivisse cum hoſtibus Jesu Societatis, & eorum conſiliis interdum etiam præfuisse, de cujus sententia (ſive intelligentia) dicantur fieri cœpta ab Aulis Hispana, & Gallica, per Adminiſtros suos Petropoli commorantes, quæ contra Mallensem, contra Jesu Socios Aulici Romani una cum Oratoribus exterarum Nationum perfici cupiebant.

terpositione fieri cœpta erant ab Aulis Hispana, & Gallica, per Administros suos Petropoli commorantes, pro expositionibus, (quæ ut ad Augustissimam illam Imperatricem pervenirent, effecit Sanctus Pater per suum Varsaviæ Nuncium, & per Moscoviæ Oratorem Comitem de Stakelberg,) plurimum expedire judicavit, ut idem Sanctus Pater super exhibitione sibi facta expresse interloqui supersederet, donec de utriusque supra commemoratæ Aulæ mente certior fieret. Evidentia, & vis hujusce cogitandi rationis facile effecerunt, ut Domino M. de hac re cum Sancto Patre conveniret. Itaque Sanctitas sua non cunctatur rem manifeste declarare, claris jam redditis iis, propter quæ ipsius Pontificis consideratio pro R. P. M. illius fidei in hoc negotio se totum permittere incitarat.

Qua propter Cardinali Pallavicinio præcepit, ut is significaret, quemadmodum nunc significat, tum officia (2) sibi a duabus supra commemo-

---

(2) Quæ vero fuerint officia a binis illis Oratoribus Petropoli in ea re suscepta, cum ex ante dictis a nobis, tum vero ez his epiſtolæ verbis, cuivis in promptu erit, opinor intelligere, tria illos Legatos apud Imperatricem proposuisse. Primum, quæ ab Episcopo Mallenſi essent in Alba Ruſſia pro Jesuitis geſta, ea non ſine injuria, & offenſione Aulæ & Hispaniæ, & Gallicanæ geſta posse multis videri. Ea ab Auguſta re-

memoratis Aulis facta, tum responsa, quæ acceperunt earum Administri a Domino Comite *Panin* nomine Imperatricis Russiarum, cum evidenter ostendat, eam Aulam promptam, ac paratam esse ad audiendas eorum expositiones, & ad persuadendum Galliæ, & Hispaniæ Regibus, Regnantem Catharinam II. (3) per quam

situ-

---

rescindi, juberi æquum & esse, & a Regibus suis poſtulari. Alterum quæ ille idem Episcopus pro Jesuitis egisset, ea in Alba Ruſſia videri Catholicis aliquid diſſidii, ac seditionis in poſterum paritura: cui discordiæ malo, ſi Imperatrix, re tota in integrum revocata, ire obviam vellet, in eo & Regibus suis gratiſſimum facturam, & Catholicæ Eccleſiæ consulturam. Tertium: Acta illa Malleuſis Episcopi ejusmodi videri, quæ Sedi Apoſtolicæ & jure displicerent, & ejus auctoritati nonnihil detrimenti attulissent.

(3) Quæ itidem Auguſta per Comitem, suum Clar. Miniſtrum, *Paninium* responsa dederit, etiamſi ea non referat Pallavicinius, ſibi, opinor, ingrata, licebit nobis ex hoc epiſtolæ loco diſtincte deducere: Primo Poſtulato Legatorum ejusmodi fuisse primum Auguſtæ Responsum; quæ domi suæ Princeps pro salute suorum geſta velit, ea neque injuriæ esse neque offenſioni aliis quidem Principibus, in causa ſibi cum illis nequaquam communi, jure posse videri. Cui vero non liquere, quæ pro Jesuitis, pro Jesuitarum novo tirocinio essent, jussu quidem suo in Alba Ruſſia facta, ea unius esse œconomicæ poteſtatis negotia quibus uni suorum saluti Catholicorum nulla a se habita alienæ œconomiæ ratione, consuleretur? Licuisse aliis Catholicis Regibus, ad animi sui arbitrium, ſine injuria, ſine offenſione Imperii alieni, de illa Jesu Societate agere, conſtituere, judicare: cur ſibi non liceat Imperatrici ex animi sui sententia, res, causas negotia suorum in Alba Ruſſia Sociorum, ſine cujusquam Principis invidia, componere?

Ad

studioſe curare, ne quid fiat, quod iisdem diſplicere poſſit; verum etiam promittere, nullam datum iri occaſionem ne leviſſimi quidem diſſidii, ac perturbationis ditionis ſuæ Catholicis.

„ Per-

Ad alterum Oratorum poſtulatum responderit Imperatrix in eandem scilicet ſententiam, in quam ante Nuncio reſcripſiſſet Pontificio: Sibi non communi modo prædicatione, ſed ſingulari ſuorum Præfectorum & judicio, & teſtimonio ſemper conſtitisse, Ordinem Jesuitarum in Alba Ruſſia & religioſum, & pium, & doctum, videri divinitus datum, ut apud Catholicos erroris, ſuperſtitionis, impietatis etiam tenebras eruditione, humanitate, ſapientia diſpelleret. Jam quid eſſe poſſit periculi ab eo corpore, ad ſalutem & charitatem eo virtutis apparatu fovendam inſtitutum videatur, ne quid inter catholicos diſſidii ne quid ſeditionis ſuboriatur? Se Hiſpano Galloque Regi polliceri daturam operam per Magiſtratus ſuos, ne quid a Jeſu Sociis, ne quid in Jeſu etiam Socios, in Alba Ruſſia vel invidiæ livore vel ſtudio partium, inter catholicos ſuos turbæ diſſidii, diſcordiæ excitetur.

Ad tertium illud Oratorum caput, de non minuenda Pontificis Romani Majeſtate, non potuit non in promptu Imperatrici hujusmodi eſſe reſponſum. Eſſe potius, cur Pontifex Summus gauderet, ſi ipſa, patrocinio Catholicorum Jeſu Sociorum ſuſcepto, rem catholicam in Alba Ruſſia promoveret; quam ſi, abolita ibi Jeſu Societate, ſuos catholicos fruſtra opem ſalutem, doctrinam, miniſteria ſolita aliunde expectare permitteret: Se porro non adeo eſſe in Pontificio jure peregrinam, ut neſciat, nihil ante in Hiſpania, nihil antea in Polonia, læſam fuiſſe Romani Pontificis Majeſtatem. cum illæ Brevia Clementis VIII. hæc Breve Innocentii X. denunciari domi iis religioſis Ordinibus vetuerit, qui Romæ fuiſſent aboliti. Nihil verbis opus eſſe: Seſe ſuo judicio in Imperio ſuo regnare: leges Imperii ab aliis non accipere: quæ ſine ſuorum detrimento poſſit, ea velle Regibus, velle Papæ gratificari; ſuorum Civium commoda nullius poſſe voluntati prodere.

Perspicacitati facile erit cognoscere quantopere expediat SSm̃o Dño nostro sinere, ut negotium istud cursum, progressumque suum habeat per easdem manus, quæ illud inchoaverant, quemadmodum & per Dominum N. N. ad hanc ipsam rem ab Aulæ Moscoviticæ Administris multoties invitatum.

Quam prudenter, cauteque in hac re Sanctus Pater se gesserit, notum erit opinor, Petropoli, & Varsaviæ, si observetur moderatio illa, qua Sanctus Pater quamvis graviter offensus (4) ab Episcopo Mallensi in illo suo mandato asserente, Pium VI. sibi facultatem concessisse supposititiorum Jesuitarum tyrocinium denuo aperiendi, quamquam ab ipso SSm̃o Pio VI. eidem Episcopo rite, ac sæpe declaratum fuisset, eos vere extinctos esse, & nequaquam unquam surrecturos: & quamvis idem Mallensis adhuc neglexerit a Sancto Patre veniam petere errati sui, quod ipse se inficiari non posse optime novit, ex iteratis litteris de Sancti Patris mandato ad eundem super hac re scriptis, neque ad hanc usque

diem

(4) Quam vere antea Pallavicinius prudentiam, ac cautionem Sancti Patris extollebat, tam falso Mallensem violati obsequii nunc accusat. Si quis ea, quæ sunt a nobis sæpe demonſtrata, recordari volet, facile videbit, hæc omnia vitia non Pium, sed Pallavicinium, in Mallensem de suo conferre.

diem errorem suum correxerit revocatione sui mandati, quod & irritum declarare debebat: nihilominus Sanctus Pater adhuc se abstinuit ab animadversione respondente gravitati delicti, in quod incidit Mallensis.

Cœterum cum in Sanctitate sua inviolabilis sit erga P.R. intimus grati animi sensus ob officia religiosissime, atque amicissime ab ipso in se collata, etiam in hoc, de quo agitur, eventu, ex hac humanissimi R. benevolentia fructum & commodum colligere constituit Sanctus Pater, eumque precatur, ut amicitiam, & Summam, qua floret, apud Petropolitanam Aulam existimationem interponere velit ad magis, magisque stabilienda, confirmandaque illa duo puncta, fixa, & immobilia, quorum alterum est, Summum Pontificem numquam ullo modo pati posse ne executioni mandaretur Breve Clementis XIV. alterum: Tollerare non posse perseverantiam Mandati Mohilovice vulgati, atque inde in universa Ecclesia Catholica, atque etiam alibi sparsi. Si secus faceret, deesset supremæ suæ Pontificiæ dignitati gravissime, & inaudito modo læsæ iis omnibus, quæ in commemorato Mandato leguntur.

Itaque stabilitis his duobus, quae nullo pacto vitari possunt, capitibus, ex quibus efficitur, ad felicem educationem, atque aedi-

ficationem (5) Catholicorum, Catholicae Russae Juventutis non posse supremam illam Dominam melius opitulari, (quemadmodum laudabiliter in animo suo statuit) quam si sponte sua potestatem faciat ad penitus revocandum commemoratum mandatum, & ad promulgandum, executionique mandandum Breve Clementinum.

Unusquisque perspicere potest, quam merito, & jure confidat Sanctus Pater Sapientissimam Imperatricem, pro sua aequitate propensam ad protegendos, conservandosque Catholicos sibi subditos in tranquillo, & aequabili catholicae religionis exercitio, perrecturam his sensis motu proprio inhærere, quin alia nova addatur negotiatio praeter eas, quæ usque modo bene dispositæ inveniuntur.

Ita sine dubio sentire Dñum N. N. perspicax ipsius

(5) Quam vellem, nunc viveret Paliavicinius, qui ab, eversa in Alba Ruſſia Jesu Societate *felicem educationem* catholicæ Juventutis, non Pontificiis auspiciis, sed malis artibus suis, Auguſtæ illi Dominæ, vaticinabatur! Videret, quid in Gallio, quid in aliis Europæ partibus, novorum Doctorum inſtitutio, qui Jesu Sociis in ea provincia fuerunt suffecti, felicitatis, ædificationis, pietatis, sapientiæ, atque humanitatis Juventuti catholicæ attulerit. Si res hæc tota, quo cœpit ire cursu, in poſterum ire perget, nolo de exitu male ominari: hoc dicam unum, quod dici paſſim ab aliis accipio: *Niſi Juventuti Catholicæ melius ad educationem consulatur, non una Gallia domi impiam Philosophorum notionem alet*; potiſſimum ſi ea cura erudiendæ Juventutis iis de *Jansenii* vel

ipsius mens persuadet Sancto Patri non minus quam ei, qui has litteras scribit.

Hinc fit, ut Cardinalis, qui haec scribit, obsecraudi ut illa secundare efficacitate qua pollet, solertiaque ei naturaliter insita, non desistat, finem faciat.

§. LIV.

Litteræ Imperatricis ad Aulam N. N.

ATque hæc quidem habui, quæ, ex Pallaviciniana ad M. A. epistola, mihi viderer posse non temere confirmare Petropoli ab Oratoribus Regiis cum Catharina II. fuisse transacta. Ne quis vero a me requirat, quae praeterea in actis istis quotidianis ferebantur, ea quidem non mihi abire indicta sinam, sed eorum fides penes Linguetium, illum Polyhistorem famosum, fuerit.

Ergo Linguetius in Annalibus Politicis, & Civilibus, præfatus, nolle se ab omni parte

 prae-

secta, vel Schola Theologis permittatur, ut adhuc *eſt* paſſim permissa, qui ideo de perdita *Jesu* Societate triumphant, quod impune jam ſint ipſi & deismi inducendi, & Chriſtianæ Religionis abolendæ, & fœderis cum Philosophia confirmandi, facultatem licentiamque consequuti. Utinam Ego vaticiner, & res meliores ſit exitus habitura!

praestare ejus monumenti fidem, quod jam esset editurus, quas in hæc verba Catharina II. scripsisse ad quamdam Aulam diceretur, litteras, recitabat.

Ego ignorare Majestatem tuam nolo, quod de Jesuitis in Imperio meo constituerim, quorum Corpus in eo salvum manere ad eos usus quos mihi proposui, e re mea publica esse judicavi, Ut ego nihil tuae obstabam Majestati quominus in ditione tua de hujusmodi Regularibus viris id fieret, quod tibi videbatur, sic Majestatem tuam, mihi persuadeo, nihil esse refragaturam iis meo in Imperio decretis, quæ de meis Jesuitis velim constituere.

Hoc præterea te monitum a me volo, nihil a Pio VI. Pontifice Maximo me pro Jesuitis obtinuisse meis, in quorum rebus constituendis, quam a Ganganellio Papa facultatem habueram, ea dumtaxat utebar; ut nulla tibi sit causa, quare Pio VI., in hoc Jesuitarum meorum negotio ullam molestiam facessere velis, qua Pio VI. a te in hac re, etiam levissima, facta, eadem opera & gravissimam mihi fieri judicarem, & omnibus Imperii mei viribus vindicandam mihi arbitrarer.

Huic ut Ego Epistolæ Imperiali non majorem, quam Linguetius, fidem periculo meo

prae-

praestem; tamen illud non dubitem confirmare, eam Parisiis, ut primum est in vulgus edita, ab omnibus veram fuisse judicatam. Frequentes enim Parisiis in Italiam allatæ litteræ narrabant, ibi Jesu Societatis hostes, post allatam Imperatricis Epistolam, cœpisse vel modestius loqui, vel plane de Jesuitis tacere. Nec enim non eos videre, quid esset periculi, illis potissimum belli temporibus, tam potentem Imperatricem offendere.

§. LV.

Litteræ Aulæ N. N.

NEque vero multo post in actis illis publicis, passim per oppida vulgari solitis exemplum epistolae alterius recitabatur, quam Catharinæ II. rescripsisse in hanc sententiam, Aula illa diceretur.

Aulam (N. N.) solum exili causa vertere Jesuitas, arcanis de causis, quas palam non esset redditura, jussisse. Quid in aliis ditionibus de Jesuitis fieret, sui neque esse judicii neque consilii opportere. Unius esse Pontificis Maximi & scire, & rationem reddere decretorum suorum, quaecumque de Jesuitis eddenda censuisset. "

Ve-

Verum sive hæ Principum Epistolæ veræ, sive satis vero similis sint habendae, id quod haud Ego facile in oratione meá posuerim; illud iterare constanter audebo; Ex litteris Pallavicinii ad M. A. omnibus palam esse debere; Romanam Aulam cum omnes in perniciem Moscoviticæ Jesu Societatis artes suis adhibuisset, quibus, refragante Imperatrice, nihil illi, nihil illius tyrocinio, nihil Mallensi nocuisset; ad extremum per Regios Legatos Petropoli cum Catharina Augusta egisse, ut quod romanis imperandi artibus negasset, potentiae duorum Regum, facilæ Europæ totius maximorum, concedere cogeretur.

Tantae molis erat Lojolæ perdere
Gentem!

§. LVI.

Testimonio Pontificio cupit Imperatrix officia Mallensis publice probari.

JAm in tanta Maximorum Principum contentionem, non Romani Pontifices, sed Aulae Romanæ Ministri cum inimica factione ad ultimam Jesu Societatis internecionem, ad perniciem Mallensis Episcopi conjurati, exita-

vis-

vissent, non satis sibi Victricis animus Imperatricis fecisse videbatur, si modo divina quadam constantia, pro æquitate, atque innocentia, contra Curiales artes, contra regios scribas, contra Minas omnes palam venisset, nisi ipsius & judicio, & testimonio, & sententia Romani Pontificis illud planum omnibus; manifestumque faceret, per summam injuriam, perque iniquissimam adversæ coitionis potentiam fuisse actum, quidquid in Alba Russia adversus Jesu Societatem, adversus Mallensem Apostolicum Delegatum a Pallavicinio, N. & Nuncio actum fuisset.

Et si enim perspiceret Augusta, se nulla exparte, in ea sententiæ suæ constantia, neque Regiae Majestati, neque causæ justissimæ, neque fidei publicæ, neque officio conscientiæ defuisse, nondum propterea tamen videbat, quæ præmia debita essent Mallensi amplissima, in quem talem & invidiæ, & vexationis, & infamiae tempestatem ideo Aula Romana convertisset, quod obsequii debitam Imperatricis suae fidem liberasset, ea a se esse homini persoluta.

Ad eam vero rem, in Episcopo Catholico prastandam, nihil Imperatrici Sapientissimae videbatur aptius, quam si Mallensi non delegationem modo Apostolicam prorogandam cu-

raret,

raret, sed Archiepiscopatum Mohiloviensis Ecclesiae una cum Pallio a Romano Pontifice obtineret: facta enim verbis esse potentiora.

Novos enim a Pontifice honores Mallensi suo mandatos, ipsos per se vanam illam quidem infamiae labem, vulgi tamen auribus inculcatam, qua Pallavicinius qua N. N. illum spargere conati essent, facile deleturos: Velle sese, atque adeo judicio quidem suo debere, experiri, factu ne sit atque facile sibi justa quidem meditanti, turgidas illas, ac bullatas Encyclici Secretarii minas reipsa refutare, quibus a factione contraria inflatus, & corruptus Pallavicinius jactasset, *futurum, ut Mallensis privaretur facultatibus per Congregationem de Propaganda impertitis*, atque facile ministris Alicorum Principum, sibi injuriosis fuisset liceri a Curialibus Pontificiis illa vocum vanissimarum terriculamenta fumosa, gratia, potentia, opibus, malisque artibus, ipsis certo addicenda.

Neque vero, re penitus apud se deliberata, non omnia sibi jam ab aequitate Pii VI., hic a Petri Romano solio usque ad extremos Septentriones, usque ad Sidera etiam Cœli, notissima, pollicebatur, si ab eo & Delegationem Apostolicam, & Pallium Mallensi suo,

&

& designationem præterea alterius eximii Sacerdotis ad Archiepiscopatum Mohiloviæ, post Mallensis obitum obtinendum, postularet.

At, cum non multum quidem sibi neque prolixe admodum, Imperatrix ab Aulicis Romanis promitteret, & sibi parum æquis, & adversæ factioni plus æquo amicis; non propterea desperabat, fore, ut rei bene gerendæ tempus aliquam occasionem afferret.

§. LVII.

Imperatrix Polociæ negat sibi propositum Græcum Archiepiscopum.

Hanc vero divino quodam quasi consilio non multo post, tempus sponte sua attulit. In Alba Russia sedes est Archiepiscopalis eorum Ruthenorum, qui communionem Ecclesiæ Romanæ ipsi ritu græco Polotiæ amplectuntur.

Ruthenus ergo, quod dicere cœperam, catholicæ communionis Archiepiscopus Polocensium, Jason Smogorzevvskius, Basilianus antea Monachus, per illud tempus fuerat ad Ecclesiam Metropolitanam Kioviæ promotus.

Hic bonus Jason, cui desponsa jam nova Metropolis Kioviana valde cordi fuisset, Var-

savi m ineunte anno 1780. profectus, ibi per Nuncium cum Sacra Congregatione de Propaganda agere diligentius cœpit, ut vacuæ a se brevi relinquendæ, Ecclesiæ Polocensi Antistes novus præficeretur Wasinskius quidam Proto Archimandrita, e Ruthena Congregatione Basilianus; cujus spectata satis dignitas non posset, Jasonis, atque Nunci judicio, non sibi suffragia omnia a Curia Petropolitana promereri.

At Imperatrix nacta in ea sede locum, ubi par pari referre posset, non datura scilicet Romanis Polociæ Archiepiscopum Ruthenum, nisi sibi darent Romani Archiepiscopum Mohiloviæ Mallensem, cum Delegationis Apostolicæ prorogatione; statim sibi a Nuncio commendatum Wasinskium, totum repudiavit.

Quin etiam cum ipsa anno 1780. Augusta in Albam Russiam se contulisset, denuo ea de re appellata, respondit: „ Valde se mirari, quid sibi juris Jason Kioviæ Metropolitanus, in vacua Polotiæ sede arrogaret: sibi porro neque placere, VVasinkium, ab Jasone commendatum Jasoni Successorem, neque Jasonis Adjutorem Polotiæ fieri Sibi curæ futurum, cui ea Ecclesia Præsuli, & quo demum tempore, esset assignanda: Interea vero ad eam moderandam sibi decretum esse, id quod statim

tim perficiebat, concilium certorum hominum constituere. „

Quo Imperatricis consilium spectaret, omnes vulgo interpretari, vix unus aliquis assequi. Erat qui offensum animum Imperatricis ideo suspicaretur, quod ipsa sibi jus praereptum Episcopi nominandi ab Jasone, Nuncioque nollet. Erat, qui diceret, Nolle eam duabus in sedibus Jasonem Præsulem sedere, qui ipse extra illius Imperii fines Metropolitanus, per Wasinkium Proepiscopum juris dictionem Polotiæ haberet.

§. LVIII.

Nuncius violati fœderis Imperatricem insimulat per Regem Poloniæ.

NEque vero propius Nuncius in Commentario, quem ea de re Poloniæ Regi postea exhibebat, veluti fœderis ante initi Sponsori, loquebatur, cum ab Imperatrice repudiatum VVansinkium Archiepiscopum ideo suspicabatur, quod Aula Petropolitana vellet, Ruthenam Poloscicæ Ecclesiam consociatam romanæ fidei, diù Antistite suo fraudatam; sensim vitio Sacerdotum bonorum consene-

scentem ; ad extremum penitus interire.

Quod vero de Commentario Nuncii (a) Polono Regi ab eo porrecto, paulo ante significabam, res tota in hunc modum sese habuerat.

Nuncius, parum ipse sibi constans, certe non recordatus satis, quid ipse adversus Jesu Socios molitus esset quos e pristina conditione, atque statu, in quo Augusta ex fide Edicti sui, ex religione fœderis publici, manere volebat, tantopere ipse per se, tanta per alios ambitione, tanto regiorum Legatorum studio deturbandos curasset, ubi de Ruthenorum Ecclesia ex repulsa VVasinskii, ex sedis Polocensis vacatione, malo timere cœpit, sine mora Regem Poloniae per libellum appellandum sibi existimavit, ut is initi fœderis, quo Alba Russia in possessionem Augustae cesserat, Patronus Augustam de jure Ruthenis non servato admoneret.

Verum, quæ capitis quinti fœderum mentio in libello facta, futura maximo adjumento Nuncio videbatur, ea maxime postulantis Nuncii apud Imperatricem erat impedimento; quod non eum præsensiisse mirum esse debebat.

§. LIX.

(a) Illum ne libro de jure peculiari Imper. pag.

§. LIX.

Imperatrix refellit Nuncium.

ITane vero mecum agat Nuncius responderet scilicet Imperatrix. Caput ne quintum non æque me, atque Aulam Romanam tenet? Hæc, ut fœdus illud sibi sanctum, de non movendo Jesu Societatis in Alba Russia statu frangere me invita, queat, Cœlum cum terra multos jam annos miscet: Ego si non statim isti Jasoni, qui præter jus, & æquum, præter morem receptum sibi successorem VVasinskium Polociæ designat, assentiar; si vacare ad aliquod temporis intervallum Ruthenam Catholicorum sedem patiar, si meo commodo ac judicio præficiendum illi Ecclesiæ Antistitem arbitrer; jam fœderis admoneor, jam novarum rerum studiosa dicor, jam pristini status eversi rea compellor. Audio vero Nuncii rationes, in libello inculcatas; sed miror non ex iisdem rationibus idem placere judicium Nuncio Pontificio in causa eadem Jesu Societatis, quod placet, quod requiritur tantopere, in Ruthena Catholicorum Ecclesia. Ne *quid detrimenti sentiat Ruthena Polociæ Ecclesia opus est, inquit Wasinkio Antistite sine mora* illi præposito. Quid? An non æque,

ne

ne multa magis dicam, expedit ad salutem latinæ Catholicorum Ecclesiæ ut Mallensis Mohiloviæ Archiepiscopus instituatur? ut Delegatus Apostolicus reficiatur? ut ei Proepiscopus cum jure successionis detur? Si Ruthena sedes sine Præside certo vacua relinquitur, addit Nuncius, periculum non obscurum imminet, ne sensim desint ibi Sacerdotes, qui græcis romanæ communionis satis idonei consulant. Probo nunc denique studium pietatis in Nuncio Apostolico, sed velim ab ipso audire, cur non fuerit æquum aperiri a Mallensi Jesu Sociis in Alba Russia tirocinium, sine quo præsentissimum erat discrimen, ne copia Sacerdotum latinorum deesset, quæ jam valde cœperat in Alba Russia imminui, sine quibus latina ibi Ecclesia esset brevi interitura? Si justa hæc causa a me, a meis Ministris, a meo Mallensi, ad incolumitatem Jesu Societatis Nuncio proponitur, vana est habenda scilicet. Sin' illa ipsa Nuncio mihi ad bonum Ruthenæ Ecclesiæ Catholicæ significetur, invictissima, justissima plane necessaria est judicanda. Hæc inquam, non vidisse Nuncium, oblato libello, necesse esse illico in mentem Augustæ venire, quis non secum miretur.

Et vero Imperatrix his ducta rationibus, cum *Promemoriam* (liceat cum Nuncio Ponti-

tifi-

tificio potius, quam Romano loqui) Nuncii, sibi per Poloniæ Regem commendatam, legisset; in priore sententia de non probando Wasinskio, deque Ruthena Ecclesia Catholicorum ab eo Concilio interea regenda, quod antea constituisset constantissime manebat.

§. LX.

Pii VI. pro Ruthenis litteræ quo sint ab Imperatrice modo receptæ.

AT Pius VI. quem idem incesserat metus qui Varsaviensem Nuncium pro Ruthenis Catholicis male jam diu habuerat, eo non dubitavit Summus Ecclesiæ Pontifex descendere, ut litteras ipse ad Catharinam Augustam daret, quibus illi Ruthenæ ejus Ecclesiæ salutem & commendaret, & ab eadem simul postularet, ne nominatum Archiepiscopum VVasinskium vellet repudiare.

Nobis quidem exemplum Epistolarum, (plures enim sunt in ea causa a Pio ad Augustam datæ) quamquam nondum habere licuerit; tamen earum sententiam nullo negotio ex litteris, Pio ab Augusta rescriptis, conjicere licebit, quarum exempla statim referemus. In iis nemo non videat Summam Catharinæ II. humani-

manitatem, maximamque erga Pontificem Summum religionem, cum singulari quadam Imperatricis dexteritate, ac prope dicam, divina rerum tractandarum prudentia, contendere.

Rogata enim a Pio Catharina, ut Ruthenæ Ecclesiæ prospiciat, eique VVasinskium Archiepiscopum confirmet, ipsa nominatim nihil de VVasinskio loquuta, de studio suo erga eam Ecclesiam non nulla testata, Pium rogat Augusta, ut Mohiloviæ Archiepiscopum Mallensem, cujus virtutes omnes majorem in modum extollit, sibi concedat, eique velit destinare eum Successorem, quem ipsa commendaverit.

§. LXI.

Imperatricis Epistola ad Pium VI.

Catharina II. & Pio VI. Summo Romanæ Ecclesiæ Pontifici ac Supremo Ecclesiasticae Ditionis Principi.

NOtum est Orbi universo, Tibique, Supreme Princeps, facta Albæ Ruſsiæ ad Imperium nostrum accessione, unitas Ecclesias harum Provinciarum concreditas fuisse Archiepiscopo Smogorzevvskio, sub cujus regimine

mine Ecclesiæ istæ fuerunt, quoad ipse *sponte sua*, *suaque opinione* ad aliud ministerium, quod sibi in Polona Republica commodius judicarat, se transtulit. Nos ubi relictam ab eo Diœcesim vidimus, nulla mora interposita, ejus regendæ munus non aliûs professionis Pastori, sed ad id instituta nuper aliquorum *ejusdem confessionis* Ecclesiasticorum Congregatione, his ipsis, Viris nimirum spectatæ fidei, nobis sacramento obstrictis morumque integritate conspicuis, commisimus. Quare dubium non est, quin Ecclesiæ isti satis sit provisum.

Ab initio regiminis nostri ad præsentem usque diem statutum, fixumque illud habuimus, ut cuilibet, in amplissimo nostri Dominatus Imperio, Deum vivum libero animo colere, ac venerari liceret, neve ulla religio quoquo modo opprimeretur, quinimo Sceptrum nostrum omnes religiones permittit, earumque professores protegit, quandiu id merentur officiis fidelium subditorum, bonorumque civium obeundis.

Ex his Russi Imperii principiis, atque institutis cum nulla Religio quidquam a Nobis timere debeat, multo minus Catholicis Romanis verendum est, ne concordia, & mutua charitas inter eos turbetur, aut ipsi privile-

giis, suoque ritu priventur apud nos; Hic enim præcipue hæc omnium Ecclesiarum regula valet, nimirum Ecclesias Societati, non Ecclesiis Societatem servire debere. Quapropter nuper ediximus, ut, defficiente, aut moriente Parocho unito, a communitate cujusque professionis quaeratur, quem illa sibi Sacerdotem praefici cupiat, ut secundum id, quod optaverit, exp etitae professionis Parochus ab habente jurisdictionem ei praeficiatur.

Quod nobis, animique nostri fidei tantopere confidas, Supreme Princeps, id Nobis sane pergratum, perque jucundum accidit; Sic enim collatis inter Nos consiliis, citius sine dubio mutua negotia perficientur.

Nos his rationibus adductae pari animi candore Tibi patefecimus, cupere Nos, ut Stanislao Siestrzencevvicz, Catholicarum Ecclesiarum Romano Mohiloviensium Episcopo, Pallium, & Archiepiscopalem dignitatem conferre velis; nec non eidem Coadjutorem providere, quem Nos idoneum judicaverimus.

Mirum in modum gaudemus, quod occasione m nanciscimur, studium nostrum, atque existimationem testificandi dignissimo Principi, qui Solio, in quo Divina Providentia est collocatus, decori est, atque honori, quique praeclaris factis, & virtutibus saeculum nostrum

or-

ornat, atque illuſtrat. Poſtremo vocem Noſtram cum Orthodoxa noſtra Catholica Eccleſia conjungimus omnium unionem precantes.

Dat. Petropoli in Urbe ſedis noſtrae Menſe Decembri die 31. anno ſalutis 1780. Imperii noſtri 19.

Atque hæc prima Epiſtola, quam, ſcriptam ad Pium VI. a Catharina II. protulimus, ſi cui non videatur a ſumma Imperii moderandi profecta prudentia, is ſeſe prodet & ab Imperio Catharinae averſum, & ab omni moderatione, prudentiaque civili alieniſſimum.

§. LXII.

Pius VI. denuo per litteras Imperatricem compellat.

Pius quidem, qui ſibi demereri Catharinam omnibus viis, ac rationibus conſtituiſſet, ut ab ea bonam veniam pro Waſinſkio, deſignato Archiepiſcopo Polocenſi Rutheno, obtineret, cum ex communi omnium Actorum publicorum ſermone, fore, ut maximus ille Princeps, Auguſtae filius, haeres Imperii jam deſignatus, una cum uxore, Matrona omnium Nobiliſſima Italiam politicus peregrinator inviſeret, occaſionem ſcribendae ad Imperatri-

cem epistola denuo sibi sumpsisset, per quam in ditione Ecclesiastica hospitia, tantis Principibus non indigna, publice offerret; non sibi defuit, quo minus de Ruthenis Catholicis de Wasinskio Augustam admoneret.

Quare Imperatrix ipsa, etiam omni occasioni pro Mallensi suo intenta, cum gratissimam sibi, maximeque jucundam Romani Pontificis & humanitatem, & liberalitatem erga filium, Nurumque suam amplissimis verbis ostendisset rursus ad commendationem Mallensis, cui Archiepiscopatum Mohiloviensem dessignasset, reversa, & confirmationem a Pio postulat, & Successorem ejus Archiepiscopatus futurum, a se nominatum, collaudat, & ad extremum Mallensem omni suspicione violati obsequii adversus Romanam sedem eo nomine purgat, quod nihil ille, *nisi jussus ab ipsa Imperatrice* in Delegatione Apostolica gessisset.

De Wasinskio illa quidem tacet; nihil vero esse Pio de Ruthenae Ecclesiae salute, de disciplina, de moderatione timendum, confirmat; cui optime concilium, a se constitutum, adhuc consuluisset. Ecce tibi exemplum alterius epistolae.

§. LXIII.

§. LXIII.

Imperatrix per Epistolam Archiepiscopatum Stanislao, & Bonislauskio Successionem postulat.

„ MAgna cum voluptate, o Potens Princeps, & litteras tuas accepimus, 17. Octobris 1781 datas, & gratias tibi agimus pro humanissimis amicitiæ erga Nos tuæ significationibus, quibus eæ litteræ sunt plenæ. Cum Tibi compertum esset iter, quod Filius Noster in Italiam cum Nuru nostra faciet, persuasissimum erat Nobis, fore ut uterque eorum Tibi grati animi sensum ostenderet pro humanitate, benevolentiaque, qua eos excipere non gravaberis, speramusque, Ipsos, quod Te de facie cognoverint, in magni lucri loco esse posituros.

Cura, & sollicitudo Tua in siccandis vastis paludibus, Roma non multum distantibus, Tuaque ex Urbe profectio ad operas istas, laboresque invisendos perspicuo sunt Argumento, Te eum Principem esse, qui ditionis tuæ bono studeas, quæ res non poterit ad augendam nominis tui gloriam non conferre.

Ad respondendum aliis amicarum litterarum tuarum capitibus, facere non poterimus, quin ad

ad litteras Noſtras, 31. Octobris 1780. datas, revertamur, quibus Te certiorem faciebamus Nos, ad bene componendas, dirigerendasque res Eccleſiæ, eorum hominum Nobis ſubditorum, qui unum, eundemque ritum tenent gravium ejusdem ritus Virorum, concilium inſtituiſſe. Ex iis qui delecti fuerunt, ut ei præeſſent, cognovimus, & certo scimus commeratum Concilium res ſpirituales illius parvi gregis ſibi commiſſi recte, ſtudioſeque moderari; & ſicut ad Solium Noſtrum nulla contra ipſum adhuc perlata eſt querimonia, ſic in præſens tempus ſatis id eſſe cenſemus, quod illa ſuprema auctoritate, quam Nobis Deus conceſſit, ſtatuimus, nec videmus, cur id mutare debeamus.

Ad Romanam Eccleſiam quod attinet, notum eſt Tibi, o Potens Princeps ipſam non modo in noſtre Albæ Ruſſiæ ditione, verum etiam in remotiſſimis quibusque totius Ruſſiæ regionibus, liberos dogmatum ſuorum Profeſſores, cultoresque videre, causa nimirum libertatis diverſarum Religionum, in vaſto Imperio noſtro ab Anteceſſoribus Noſtris, & a Nobis metipſis conceſſæ; & hanc ipſam ob rem anno 1773. judicavimus oportere, ut Romanæ religionis profeſſores, nobis Subditi peculiarem, & proprium haberent Paſtorem, atque eo ex tempore curam hanc in Epi-

Episcopum Stanislaum Siestrzencevvicz contulimus. Vidimus hanc nostram agendi rationem a Te approbatam fuisse, ut rem utilem illi Ecclesiæ, in qua Tu o Potens Domine, existimatus fuisti dignus, qui primum gradum occupares. Quod enim Tibi placuerit, atque optatis tuis responderit, argumento fuerunt litteræ tuo nomine ad commemoratum Episcopum scriptæ, quibus ei committitur, ut Regularium Ordinum, religiosorumque hominum romani ritus, in ejusdem diœcesi commorantium, disciplinam dirigat, ac moderetur, & super ipsorum vivendi, agendique rationem invigilet.

Regio ipsa late extensa, & habitatorum, Romanam Religionem sequentium, numerus, Nos impulit, ut Mohiloviæ Diœcesim in Archiepiscopatum erigeremus, & officia Nobis ab Episcopo Stanislao præstita, nec non ejusdem pro commisso sibi grege studium, effecerunt, ut eum ad hoc munus deligeremus. Quare suprema auctoritate Nostra, quæ sine ulla exceptione ad omnes Imperii Nostri hominum cœtus, gradusque extenditur, huic Episcopo dignitatem Mohiloviensis Archiepiscopi assignavimus, atque ad eum in labore pro tam extensa Diœcesi adjuvandum in ejus Coadjutorem renunciamus ejusdem Diœcesis *Canonicum* Joannem

nem Benislavvski; cujus hominis merita Nos ad eum eligendum permoverunt.

„ Cum tua sentiendi ratio, o Potens Princeps, Nobis sit perspecta, non dubitamus, quin sollicitudo nostra pro Ecclesiæ Romanæ in Imperio Nostro emolumentis Tibi pergrata sit futura, Teque ex parte tua optatis Nostris libenter assensurum confidimus. “

Et quoniam Nos docuisti, Nuncium Tuum apud Regem, & Serenissimam Poloniæ Rempublicam, Calcedonense Archiepiscopum N. N. ad hujus naturæ negotia instructionibus Tuis munitum esse Nostro apud eandem Poloniæ Aulam Oratori, Comiti de Stakelberg, mandavimus, ut cum Nuncio hanc rem conferat, & inter se concorditer agant de iis quæ ad renunciati Episcopi Coadjutoris consecrationem spectant.

Non possumus, o Potens Princeps, Te celare dolorem, quem inde cepimus, quod in Archiepiscopum Stanislaum succensueris. Ille tamen nihil aliud fecit, nisi quod omnino facere debuit, nimirum Supremæ Dominæ suæ mandata fideliter est executus.

Quod ille in sua Pastorali Instructione declaraverit, velle Te, ut ipse regulares Ecclesiæ suæ moderaretur, & super ipsorum agendi, vivendique disciplinam invigilaret, argumen-

mentum erat reverentiæ erga Primum Eccleſiæ ſuæ Episcopum, cui ejusdem Eccleſiæ & bonum regimen, & tranquilitas cordi est.

Ipsa mentis Tuæ lumina, o Potens, Princeps, & recta sentiendi ratio, me certo sperare jubent, Te, ubi cognoveris, nihil ab Archiepiscopo ſuisse perperam factum, pristinam benevolentiam ei conservaturum.

Atque hæc sunt, quæ Te precamur, Optata Nostra renovantes, ut velis Archiepiscopatum agnoscere in civitate Mohiloviæ, a Nobis ad id assignata, & in ipsa civitate approbare Archiepiscopum Romanæ Eccleſiæ Stanislaum, a Nobis renunciatum, palliumque ei dignitati congruens, mittere. Quod superest, voces Nostras, vocibus Eccleſiæ Nostræ Orthodoxæ conjungimus pro omnium ad unum, eundemque ritum reductione. Ex Sede Nostra Imperiali 30. Januari 1782. "

§. LXIV.

Ex silentio Pii VI. Acrius agendum sibi Augusta putat.

EX his quidem litteris, & si nihil dubitandum videbatur, quin Imperatrix non ante dari Ruthenis Antistitem Catholicum pas-

 sura

sura esset, quam ipsa sibi datum Archiepiscopum Mallensem, sibi concessum Benislauskium futurum illius sucessorem videret, tamen Pius lente, necessariis, opinor, de causis, sibi festinandum non tam in eo beneficio Augustæ tribuendo, quam in non exacerbandis aliis Principibus, ratus, expertusque longam diem ipsum per se consilia Principum vel frangere, vel mollire, vel mutare penitus solere, Imperatrici diu differendum responsum judicabat.

Illa, si non repulsæ, certe longioris quidem moræ impatiens, cum, quo potissimum Romanorum aulicorum artes spectarent, optime intelligeret, tertias litteras, sed significantius vota sua pro Mallensi Archiepiscopatu, pro Benislauskii successione professas, scribendas sibi esse constituit. Quo vero magis incensum semel Augustæ studium inflammaretur, recens silentium Pontificis efficiebat, qui eas litteras idcirco tardius accepisset, quod per illud tempus, magna bonorum omnium approbatione, pro concordia Sacerdotii cum Imperio constituenda, sese ad Josephum II. Imperatorem, Vindembonam cotulisset.

Imperatrix vero Pii tam diuturnum silentium primo mirata vehementius, deinde etiam suspicata, Pontificem Maximum metu gravio-

ris

ris offenſionis, quæ ab aliis Curiis illi inſtaret, omnino non audere ſibi gratificari; (id quod epiſtola Imperatricis pro Jeſuitis ad eum ſcripta, & paulo poſt a nobis exſcribenda, aperte declarare videbatur) non jam putabat a ſe humanius de more ſuo rogandum Romanum Pontificem, ſed paulo acrius per Oratores ſuos & Varſaviæ, & Vindemhonæ agendum (quod ſi cui mirum videatur in Imperatrice conſilium, nihil ego illi adverſabor modo ne idem armatas aliorum Principum in Sedem Pontificiam preces, quibus ſibi dari ad exitium innocentiſſimam Jeſu Societatemf lagitarent, deſinat mirari) Sed pro ſuo quiſque ſentiat arbitrio. Ego litteras Imperatricis ea de re proferam, ad ſuum Poloniae Adminiſtrum Comitem Stakelbergium datus.

§. LXV.

Epiſtola III. Imperatricis Catharinæ II.

„ CUm nullum adhuc acceperim reſponſum ad litteras, quas, pro Domino Stanislao Sievrzencevvicz, Romanae Eccleſiae Mohiloviensis Archiepiſcopo, nec non pro conſecratione Coadjutoris ejuſdem Archiepiſcopi

 Domi-

Domini Joannis Benislavvuscki, ad Papam scripsi; tibi præcipio, ut aperte, vivideque significes Aulae Romanae Nuncio, Varsaviae commoranti, quanti intersit Domini sui, sine ulla dilatione in utraque remihi satisfacere.

Diversis instructionibus, quæ super hac re ad te missæ sunt, satis de hac ipsa re es edoctus, satisque munitus ad evidenter, valideque refellendum quidquid Pontificius Nuncius objicere tibi poterit. Quod ubi feceris, si Aula ista cunctatur adimplere optata mea, eam rationem illa agendi tenebit, quæ nullo modo placere, mihi potest.

Itaque auctoritatem tibi tribuo, tibique præcipio ut hoc ipsum Varsaviensi Nuncio Pontificio sine ulla verborum meorum mutatione temperatio ne ve significes, illud insuper addens: Quando quidem mea pro Romanæ Ecclesiæ rebus apud Dominum suum deprecatio tam parum efficacitatis habuit; (quod quidem dignitas mea pati non potest, & valde alienum est ab ea indulgentia, & habenda Mei ratione, quam ab eo Principe expectare mihi licebat) hanc agendi rationem diutius æquo animo ferre non potero; quod si facerem & mihi metipsi, & supremae dignitati meae deessem, atque ille ipse hoc se erga me gerendi modo, duram mihi necessitatem iniiceret

ceret

ceret privandi Ecclesiam Romanam eo patrocinio, quo ipsa in Imperio meo ad hanc usque diem perfruita est. Patrocinio, inquam, quod Papa ipse non potuit non cognoscere.

Siquidem Ego nunquam recessi ab humanitatis, tolerantiæque principiis, quibus tamquam basi, solidoque fundamento mea semper innixa fuit agendi ratio, perfectam unicuique conscientiæ libertatem permittens, neminique negotium facessens circa modum canendi Deo laudes secundum ritum ejus religionis, quam quisque aut a Majoribus accepit aut sibi ipse adoptavit. Ego in Imperio meo sine ulla coartatione cultum publicum, exercitiumque permisi omnium Religionum, ne Romana quidem excepta.

Si vero privatæ quædam rationes, quidamque privati respectus, a veris rei christianæ rationibus alieni, non satis cum civili regimine, legitimaque, qua ipsum innititur, auctoritate conguerint, aut si indulgentia quam hactenus habui, tam parvi ab eo ipso penditur, qui uni moderationi meæ conservationem eorum, qui Romanam Religionem profitentur, in ditione mea debet; tunc reputabo Mihi plane necesse esse factis ipsis ostendere, Me eam non esse, quæ sine vivissimo animi sensu aspicere possim, debitam postulationis meæ

ratio-

rationem non haberi, nec mihi modum, viasque deesse, quibus hæc omnia obtineam.

Tunc plane intelligetur, uni meæ indulgentiæ, & humanitatis, tolerantiæ principiis, quibus unusquisque hic fruitur, tribui debere conservationem illius auctoritatis, qua Ego Aulam Romanam uti, atque agere in rebus Ecclesiæ Romanæ tam longo tempore permisi. Intelligetur pariter, desierim nec ne, quærere, & cognoscere id quod supremi cujusque Principis auctoritati debetur, cui ecclesiasticam disciplinam, & potestatem ad bonum civilis Societatis regimen, & tranquillitatem subjici oportet.

Postquam hæc omnia exposuerit, cura, ut Romano Nuncio dicas prius quam veniatur ad alia quæ certe Aulæ suæ grata non erunt, Me iterum Papam precari, ut confestim mihi respondeat, & Responsio sit ejusmodi, ut mihi plane satisfaciat.

Mihi persuasissimum esse, responsum istud consentaneum fore Sapientiæ, quam in Ipso agnosco, non minus qua moderationi, & humanitati, quæ maxime decet Ecclesiasticam dignitatem, quam ipse obtinet, & quæ semper propria fuit Ministrorum Ecclesiae praesertim primitivae.

Nullo pacto tacere debes, ut quavis in postulato

stulato meo repulsa, quavis in mihi tatisfaciendo cunctatione, in necessitatem conjiciar privandi Ecclesiam Romanam eo patrocinio, quo usque ad tempus præsens ipsa in Imperio meo abunde laetari potuit; quo fiet, ut eam redigam ad statum, & conditionem, in qua nihil agere possit. Quae quidem conditio magno illi detrimento erit, cum Papa ipse ignorare non possit maximam partem eorum, qui nunc in mea Albae Russiae ditione romanam communionem profitentur, religioni nostrae Orthodoxae olim adhæsisse, & tam ipsos, quam ipsorum Majores, Romanam communionem non adoptasse nisi propter persecutiones, quas in Polonia subierunt, & propter Romanorum Presbyterorum artes, ac dolos. In hoc rerum articulo maxima pars istorum nihil aliud expectat, quam levissimum quodque signum ad amplectendam Religionem nostram Orthodoxam, quam ipsi reliquerunt inviti; eo magis quod in eorum animis multa remanent antiquæ religionis vestigia; religionis inquam, cujus dogmata multo magis humanitati pretiosa idcirco sunt, quod nunquam cum bono Imperii regimine, politicisque rebus pugnarunt.

Postremo his omnibus adjicies: Nullius, cujuscumque tandem conditionis ille sit, interposi-

positione, deprecatione ve fieri poſſe, ut Ego ab hac mente conſilioque recedam.

Poſt haec apud Romanum Nuncium inſiſtes ut de his omnibus Dominum ſuum diſerte, & perquam accurate certiorem faciat. Mihi ſane exſpectare non poteram futurum, ut Papa parum adeo rebus ſuis conſuleret, mihique hac tanta hujusce rei procraſtinatione, & tarditate neceſſitatem afferret, ſenſa mea acrius, quam vellem, exprimendi.

Ut autem hujus Principis Nuncius, qui Viennæ (*a*) commoratur poſſit ipſe quoque Dominum ſuum de hac re edocere, in mandatis dedi Principi de Galizin, ut haec ipſa animi mei ſenſa eodem modo ei ſignificaret. (*b*)

Petropoli 4. Novembris 1782.

§. LXVI.

Litteræ Catharinæ II. ad Pium VI. cui auxilium pollicetur.

QUo autem tempore *Acta publica univerſalia* has recitabant, quas ad Oratores ſuos Augu-

(*a*) Joſeph. Garampius.

(*b*) Ex Ephemerid. univers. Florentini anni 1783. num. 10. p. 79

Augusta litteras scripsisset eadem Acta has alias ab Eadem Augusta ad Pium VI. datas litteras memorabant, quas nos ita jam subjiciemus, ut earum fidem penes scriptorem illorum Auctorum esse velimus.

Novi Sanctitatem Tuam in anxietatem, & angustias esse conjectam, cujus generis timor cum gradu, & contione Tua non cohaeret. Dignitas tua neque arbitraria est, neque cum politicis rationibus in Religionis detrimentum convenire debet. Ego Jesuitas tueor, eisque faveo ex Justitia, & aequitate, & quia sunt Imperio meo utiles. Illi quidem in ditione mea corpus quoddam constituunt innocens, & inter alios Catholicorum cœtus maxime idoneum ad civiles urbanosque mores inducendos, & ad instillandos hominibus mihi subditis, quos tanta sollicitudine, & impensis ex colendos curavi, eos sensus, qui hominem deceant, & quidem Christianum.

Mihi penitus deliberatum est, atque statutum, eos contra cujusque vim tueri, ac defendere; quod cum perfecero, nihil aliud eis praestabo, nisi quod praestare debeo, cum sim suprema eorum Domina, & ipsi subditi mihi fideles, innocentes, utiles... Nihil timeat Sanctitas Tua, Ego enim pro viribus efficiam, ut integra, sana, tecta Tibi conserventur ju-

ra quæ a Jesu Christo accepisti, (*a*).

§. LXVII.

Legatum Romam mittit Augusta.

IN eo rei totius statu; cum Imperatrix apertissime intellexisset, non per Pium ipsum, sibi gratificandi studiosissimum, sed per eos Aulicos Pii, quos coitio inimica alienissimos Moschuanae Curiae effecisset stare, ne postulatis objecta mora tolleretur; constituit certum Causae totius & Interpretem, & Cognitorem, & Procuratorem legare Romam, Virum clarissimum Joannem Benislauskium, ante in Jesu Societate Mathematicae publicum Vilnae doctorem, nunc Canonicum, & Summo loco natum, & dignitate vitae meritisque amplissimum, quem jam Imperatrix a Pio Successorem Archiepiscopi Mohiloviensi designandum poposcisset.

De quo consilio, a se suscepto, cum Imperatrix ad Pontificem Maximum die 4. Novembris 1782. litteras dedisset, ipsa Benislauskium, a se penitus de ratione tota agendi edoctum omninoque jussum omnia coram cum Pio, nihil cum Pii Curia, nihil cum Praefe-

ctis

ctis Congregationi de Propagauda agere, Petropoli sub finem mensis Novembris 1782. cum formatis a se litteris publico sigillo fidei causa munitis attributisque tribus Rublorum millibus pro viatico dimittebat.

Per illud idem tempus Augusta litteras Romam ad Proxenum (Consulem nostra ætas vocat) suum sive Procuratorem Ordinarium, Gasparum Santinium, scribendas curaverat, in quibus cum insigni commendatione, & Nobilitatis patriæ, & dignitatis, & virtutis, & sapientiæ illi Benislavvskium, extraordinarium Legatum suum, commendabat. Cui Imperatricis mandato Santinius, ut splendide pararet, statim & hospitium nobilius & rhedam & lautia omnia Romæ Benislauskio comparaverat.

Jam quam valde Benislauskii extraordinaria ad Pontificem legatio animos Europæ totius ubi emanare in vulgus cæpit commoverit si quis curiosius scire volet, ex Actis publicis in quibus ille Nuncius utramque paginam faceret, me tacente, ediscet.

§. LXVIII.

Res secreto agitur per Legatum.

ILlum Kalendis ipsis Martii 1783. cum statim de via Santinius in præparato, instructoque egregie hospitio excepisset, dare cœpit operam, ut & Pius postridie ejus diei, qui dies erat Dominicus, per se de adventu Oratoris Petropolitani fieret certior, & dies certus ejus colloquio cum Pontifice Maximo de more diceretur.

Ergo cum dies Martii tertius (qui dies lunæ, forte erat dicatus aniversariis ludis personatis, sive Baccanalibus, quo tempore ferme nemini ad Pontificem Maximum aditus patere solet,) dictus fuisset colloquio primo, Benislauskius talari veste induutus sine ulla alia pompa majore, qua veluti privatus Romæ abstinere decreverat, duce Santinio Russiæ consule, insignibusque Russianis uso, ad conclave Pii Pontificis est intromissus.

Huic cum fidem legationis suæ ab Imperatrice publicam de more reddidisset remotis statim arbitris, primus ille sermo ferme ad binas horas tenuit. Inde digressus Orator Benislauskius & si sibi non agendum ex solita

for-

formula Legatorum intelligeret, cui Imperatrix omni interdixisset actione cum Pontificiis Aulicis tamen urbani officii gratia invisere Pallavicinium Cardinalem a sancioribus Pii VI. secretis volebat.

Huic litteras fidei publicæ formatas de more requirenti, cum respondisset, eas a se jussu Augustæ suæ, Summo Pontifici fuisse jam redditas, alias, quas ad ipsum Pallavicinium habebat, sibi ab Nuncio Garampio datas, non sine amplissimorum meritorum testimonio tradebat.

Jam quæ scire sit nefas, ea augur aliquis politicus, per me licet, sibi comperta vaticinetur. Ego video nihilo minore Pii voluntate quam severiore Catharinæ præcepto, rem totam tanta silentii fide fuisse transactam, ut, cum Benislauskius sæpe ad Antonellium Cardinalem, Propagandæ fidei præfectum, sæpe ad Cardinalem etiam Contium Brevium Secretarium, jussus a Pio se contulisset, tamen in tanta Romanæ Aulæ curiositate, nihil quisquam certi, nihil comperti, se in ea causà scire, dicere auderet.

§. LXIX.

§. LXIX.

Nihil a Pio negatum Imperatrici.

QUamquam ea tanta, tam non usitata Romæ taciturnitas, multis apertissimo esse dicebatur indicio, non, quid ageretur in ea causa penitus latere, sed ab inimicis Aulæ Romanæ ideo taceri, quod & parum illis id, quod ageretur, placeret, nec posse ea actio impediri iis ipsis videretur. Et vero si exitum si litteras, si acta, quæ postea sunt consequuta, spectare velimus; quæcumque a Pio VI. Catharina II. postulasset, ea constabit omnia Pontificem Summum Augustæ Imperatrici per Benislauskium dedisse.

Huic primo a Pio fuit responsum (fide prius silentii ut deinde est cognitum, interposita) nihil non Imperatrici Russiarum velle Romanum Pontificem in ea causa gratificari, id quod Augustæ ante jam esset a Pio confirmatum litteris mense Januario 1783 ad Eam scriptis.

§. LXX.

Benislauskius ostendit datum iri Ruthenis Archicpiscopum.

UNum interea Pius postulabat denuo, quod plane ab Imperatrice vellet sibi polliceri, ut ne diutius illa Ecclesiam Ruthenam Catholicorum Archiepiscopo viduam pateretur. Benislauskius porro, qui de re tota cum clarissimo illo Principe Potenkinio non in pace minus Augustæ Ministro probato, quam in bello Turcis timendo Imperatore, prius quam Petropoli exiret, locutus, intimos Augustæ sensus cognitos haberet, sine ulla cunctatione Pio ostendebat, fore omnino, ut brevi Ruthenis Polotiæ Catholicis, magna Imperatricis voluntate Archiepisopus præficeretur. Quin etiam addidit sibi a Potenkinio nomen fuisse editum futuri in illa Ecclesia Archiepiscopi, quem Imperatrix, ubi primum sibi datum Mohilbviæ haberet Archiepiscopum, præficere decrevisset; Ernelium Lisouskium, in Monasterio S. Onuphrii Abbatem Basilianum, & rei catholicæ addictissimum, & vita moribus, sapientia integerrimum Sacerdotem.

Quæ cum Pius studiosissime audita, sibi gratissima diceret, accidere adjungebat, sese

non

non posse prius de mittendo Pallio ad Mallensem, de initiando etiam ipso Benislauskio, veluti ejus Adjutore, & successore, constituere, quam sibi ad eas esset litteras ab Imperatrice rescriptum, quos Petropolim die undecima Januarii ad Augustam Ipse scripsisset.

Qua de causa Benislauskius Romæ paulo diutius opinione sua moratus, atque interea sæpe, prout res quæque requireret, cum Pio collocutus, tandem die trigessima prima Martii ab eodem est coram certior factus, jam ad eum Varsavia scriptum esse, litteras sua undecima Januarii ad Augustam datas, maxima illius Imperatricis voluntate fuisse Petropoli acceptas, quibus paucis post diebus se rescripturam Augusta confirmasset.

§. LXXI.

Pius decernit Nuncium deferre Pallium Mallensi.

ET vero his a Pio paulo post acceptis decretum ab eodem die decima Aprilis fuit, ut Nuncius Varsaviensis Pallium novo Archiepiscopo Mohiloviensium, illi ipsi Mallensi Episcopo, illi Delegato Apostolico, illi Jesu Societatis in Alba Russia Sospittatori, illi ejus tirocinii

rocinii

rocinii Reſtitutori, Petropolim deferret. Poſtridie ejus diei per Santinium juſſus Benislauſkius ſeſe coram Pontifice Maximo siſtere, ab eo, quas jam referam, Imperatricis litteras acceptas volente Pontifice legebat.

§. LXXII.

Imperatricis Catharinæ II. ad Papam Pium VI. Epiſtola IV.

AMicas litteras tuas, o Potens Princeps, accepimus die 11. Januarii 1783. datas, quæ nobis perjucundæ fuerunt, eo magis, quod in iis Summa animi noſtri voluptate obſervavimus ſollicitudinem Tuam in ſatisfaciendo poſtulatis noſtris pro Stanislao Sieſtrzevvicz renunciato a Nobis Eccleſiæ Romanæ Mohiloviae Archiepiſcopo, & pro ejus Coadjutore Joanne Benislauſkio, quae, quidem poſtulata aequitate, & vero illius Eccleſiae bono innituntur.

Haec omnia accepimus & praeterea intelleximus, Te de mittendo ad Urbem Noſtram primariam, in veriſſimum Tuae erga Nos amicitiae ſignum, legato cogitare. Quare gratum erga Te animum noſtrum, o Potens Princeps, quam maxima poſſumus aſſeveratione teſti-

stificantes, precamur Te, ut penitus Tibi persuadeas de mutua erga Te voluntate Nostra, sinceroque, quibuscumque rebus poterimus, gratificaudi Tibi studio, & postulatis tuis satisfaciendi.

Legatus Tuus apud Nos plane fruetur iis omnibus honoribus, ac privilegiis, quae secundum consuetudinem nostram Regiis Oratoribus, & Administris conceduntur. Istius ad Nos Oratoris Missio duplici ex capite grata erit, atque accepta, nimirum, tum quia testimonium erit perfectæ libertatis, qua sub Nostro patrocinio gaudet in Imperio Nostro Ecclesia Romana; tum quia erit evidens signum, quo omnibus fiet notum, quanti egregias virtutes Tuas facimus. Postremum Vota Nostra Ecclesiæ nostræ Orthodoxe votis adjungimus pro unione omnium, qui Deum colunt Omnipotentem.

§. LXXIII.

Benislauskius a Pio donatus Româ abit.

His ergo litteris, maxima gestientis animi lætitia, ac tantum non profusis præ gaudio coram Pontifice Maximo lacrimis, a Benislau-

nislauskio recitatis, res tota ex sententia Imperatrieis confecta, jure suo legatum Benislauskium adigebat, ut & quam maximas Pontifici Pio gratias, & quam amplissima verborum significatione posset, cum Imperatricis nomine tum sua ipsius causa ageret.

Hic porrò per litteras jam ab Aula Petropolitana revocatus, die decimatertia Aprilis fausta sibi ad reditum verba eoram a Pontifice Maximo precatus, rursus actis eidem publice pro beneficio Imperatrici collato, gratiis, privatis etiam pro eximio Rosario ex stellatis gemmis (lapislazulin vocant) confecto, aureoque numismate cum excusis Jesu & Mariæ iconibus ornato, quo egregie, ac magnifico donabatur munere; num quid Petropolim a se vellet Pontificem Maximum, officiosissime rogabat. Postridie idem Roma profectus, Petropolim die decimaquarta Julii pervenit.

Etsi vero minime dubitandum videatur, quin Benislauskius, re Imperatricis suæ publica bene a se Romæ gesta, magnis itineribus ad illius conspectum contenderet, tamen novo timore actus, cum Romanam curiam de mittendo Petropolim legato ex litteris Augustæ cogitasse, intelligeret; alas, opinor, ipse sibi pedibus adderet, non sine causa fore su-

spicatus, ut hostes Jesu Societatis, si non Nuncium, de quo aliquid inaudisset, at certe Petropolim legari aliquem de suo ipsorum sinu, gremioque curarent, qui per insidias, cuniculosque ocultos, reliquias illius radicitus evellere moliretur. Qui certe metus, non panicus Benislauskii fuit terror. In eo enim tota inimicorum coitio jam antea fuerat, ut ille ipse Nuncius, totius illius superioris tragediæ fax, dux, auctor, ministerque primarius, ad Augustam legatus Pontificius mitteretur.

§. LXXIV.

Nuncius Varsaviensis ambit legationem ad Imperatricem.

ILlud vero mirabilius, quod initium ejus consilii ipse Nuncius dedisset Varsaviensis. Is enim ubi primum rumore accepit, profectum Romam Benislauskium Imperatricis extraordinarium Oratorem, duo prævidit omnino futura, quæ neminem tamen latere possent. Alterum, nihil non daturum esse Pium Oratori Augustæ Imperatricis, jus, fasque omne pro Alba Russia postulanti: Alterum sine cunctatione pro se Pium legaturum aliquem Curiæ suæ Praelatum, qui Augustae parem offi-

officii, atque observantiae significationem referret.

Ergo Nuncius, Purpurae candidatus, vehementissime sibi tam magnificae legationis splendorem omni studio, ac contentione cœpit ambire, cum potissimum animo jam tum praeciperet, pro præmio illius numeris purpuram de more sibi concedendam, quam ipse Nuncius Varsaviensis multo tardius, nec nisi ad altiorem gradum Nuncii ante promotus esset induturus.

In ea legatione certam sibi aleam fore; sive enim legatus illis Jesu Societatis reliquiis, invita Imperatrice, malam pestem conficeret; dibaphum sibi jam paratum Romae ab inimica factione videret; sive gratificatus Augustae nihil illis nocere voluisset, Cardinalitiam honorem illius rogatu sibi non differendum credere.

Jam in ea re sibi conficienda suffragia apud Aulam Romanam ab Amicis suis, qui in visam Jesu Societatem per illum in Alba Russia infra omnes mortuos amandandam sperarent, nullo negotio parata habuit. Per speciem enim non onerandi aerarii a Pio facile illi assequebantur, ut Nuncius Varsaviensis breviore via minore mora, sumptu leviore Petropolim legaretur.

Au-

Augusta vero, quae non sine causa homini infestior futura videretur, per allegationem certi cujusdam Viri, qui plurimum apud illam gratia valeret, Varsaviæ Nuncio suffragati, non difficillime huic placata, tandem non est adversata palam Curiae Romanae, cui per Cancellarium suum negotiis exteris in Imperio Praefectum, clarissimum Osterman, excepturam se cum legatum non diffitebatur.

§. LXXV.

Legatio, & data prudenter Varsaviensi Nuncio & ab eo sapienter gesta.

QUa in re nihil dubitem de Pio affirmare Sanctissimum Christi in terris Vicarium in legendo Nuncio Varsaviense procul ab omni callidioris sapientiae ratione, diviniore quodam consilio fuisse usum,) qui certe vellet, satis Majestati Imperatricis, ab N. N. parum observatae satis dignitati Mallensis Episcopi ab eodem palam oppressae, apud omnes fieri; ne dicam etiam, innocentiae illorum Jesu Sociorum, tot conviciis, tot opprobriis, tot malis carminibus impetitae, levationem aliquam per illum ipsum infamiae artificem afferre.

Cer-

Certe non semel tantum pro Mardocheo mirabilis illa Numinis providentia, quae tela ab innocente in caput ipsum grassatoris retorqueat, quae artificem ignominiae Ministrum esse, ac gloriae praeconem jubeat, sese mortalibus vindicem injuriæ, innocentiæ patronam ostendit.

De Augustæ vero Imperatricis humanissima indulgentia, ac bonitate quid aliud dignius dicam, quam quod de optimis quibusque Principibus vere dici, raro tamen admodum, potuit, Eam nihil aliud, nisi injurias oblivisci solitam, subjectis sibi parcere, superbos debellare didicisse?

Nuncius Ergo Varsaviæ, prius quam ad Augustam Imperatricem legatus a Pio Principe civilis, non Nuncius ab eodem Pontificius, se itineri committeret, diligenter ab amicis monitus, ut Jesu Sociis penitus abstineret, si sibi sapere, si rem publicam non male a se gestam vellet, certior fiebat, & ab Oratore Moschico, Comite Stakelbergio, & a Prætore Albæ Russiæ Clarissimo Czernicevio, ex edicto Imperatricis in toto Russiæ Imperio, pro læsæ Majestatis haberi crimine, si quis in Jesu Socios, fidei illius, patrocinioque commissos, alquid auderet moliri. Quæ vel Imperatricis prudentissimæ cautio, vel suspi-

suspiciosa de N. N. dolo opinio, sic hominem totum affecit, ut, cum, sibi quemque proximum esse, secum reputaret, multam jam salutem Romanis amicis, in perniciem Jesu Societatis olim secum conjuratis, dicere ex tempore decreverit.

§. LXXVI.

Honorificentissime acceptus legatus Pontificius.

AT Augusta; quæ in legato Pontificio excipiendo rationem Imperatoriæ Majestatis potius, quam pristinæ ab N. N. offensionis habere vellet, Omnibus urbium Præfectis, qua iter legatus Romanus ageret, diligentissime mandavit, ut darent operam, ne quid ad commoda legato, ne quid ad speciem honoris deesse publica auctoritate, paterentur, ut facile omnium testimonio constet, nullum in Imperio Russiano publicum alicujus Principis legatum magnificentius, splendidius, honestius præ hoc unquam exceptum fuisse.

Quin etiam Stanislaus Czernieviskius Vicarius Generalis Jesu Societatis in Alba Russia; die 17. Octobris anno 1782. jubente Augusta, ut infra dicam, renunciatus, ad Præfectos omnium

nium Collegiorum accuratissime scripsit, ut in Nuncio Pontificio Majestatem Pontificis Maximi vere, atque ex animo venerati, non modo illi præsto ad obsequium essent, sed hospitium quoque paratum domi suo nomine offerrent.

At horum ut occursum, officiumque legatus vitaret, ne Aulicis Romanis citius, quam oporteret, prævaricatus videretur, non per Albam Russiam, sed per Rigam, Metropolim contendit.

Augusta, cum Carkozelii, in suburbano, amenoque rure, die vigesimo Julii accepisset, legatum Petropolim pervenisse, postridie ad Imperiale Palatium festinater regressa, ad Se adeuntem primo Romanum Legatum solemni significatione honoris admisit. Paulo post ab urbe rus reversa; cum audisset, Eumdem in Ædibus Ecclesiae Catholicae in communi totius Imperii laetitia, quod Magna Ducissa, Nurus sua, per eos dies (*a*) Alexandra Principe filia, ipsa e partu salva, & incolumis, Imperialem domum auxisset, sacris publice operatum, voce sua in illis supplicationibus religiosis hymnum Eucharisticum Catholicis præivisse, maximo Se affectam gaudio palam omnibus ostendit.

 §. LXXVII.

(*a*) 9. Auguſti.

§. LXXVII.

Stanislaus vocatur Petropolim Pallii gratia.

AT novus Archiepiscopus Stanislaus, cujus honoris gratia Pontificis Legatus Petropolim cum Pallio venisset, a Taurica Chersoneso, quo eum secum Potenkinius Tauricae, sive Tartariae Minoris Praetor, ea de causa adduxerat, ut ibi Chatholicos Sacro Chrismate confirmaret, ante mensem Septembrem non potuit accersitus redire.

Quem reducem cum ad se mox Augusta vocasset „ Spectatus ad Me redis, ait, Optime Archiepiscope. Profecto, quam multa sis ante passus, dum pro Jesu Sociis, contra eorum inimicos potentissimos, me imperante, veniebas, jam nunc licet obliviscaris. Ecce tibi Legatus Pontificius, jussus a Pio, integerrimo bonorum remuneratore, te honore amplissimo Pallii donabit. Sat Ego scio, multo plus tibi ad gloriam Catholici Archiepiscopi isto Pii munere accessurum, quam quantum detractum antea de fide tua, de obsequio, de pietate, obtrectatio, livor, invidentia, odium malevolorum injuriosissime voluisset. Non tu unus, Ego una tecum causa Jesuitarum petebar. Vicimus, Stanislae Archiepiscope. „ Cui

Cui novus Archiepiscopus, cum quibus verbis gratias Catharinae ageret, non infinitis partibus tanto beneficio impares, nescire se respondisset „ Enim vero, inquit, vicisti optima Mater, potius quam Augusta tuorum Civium omnium Imperatrix. Vicit una Tecum perpetua Imperii tui comes Justitia. In illa Jesuitarum causa, quam Ego tibi deberem obsequii fidem, etiam a me profuso sanguine Tibi præstandam, eam ipsam Delegatus Apostolicus salva erga Pium Pontificem pietate, a quo sine exceptione in omnes Ordines religiosos dictus essem ipsius in Alba Russia Vicarius, liberare me posse gaudebam. Apud Majestatem Tuam certum obsequii præmium positum noveram. Tanto isto Pallii, quo per Te nunc donor, honore haud me plane dignabar, Augusta; pro quo grati animi sensum, quem verbis assequi me posse parem nullis video, obsequio, fide, pietate erga Te, Tibi primum, deinde Eccl. universæ ostendere conabor. Tuum jam sit, cujus est totum istud muneris, & locum, & tempus, & rationem accipiendi Pallii constituere. “

§. LXVIII.

Nuncius dedicat ædem Catharinæ Virgini & Martyri Petropoli Sacram.

Quæ cum Stanislaus non lætæ modo, sed prope triumphanti gaudio Imperatrici respondisset, ne statim a legato Pallium indueret, nova difficultas ex formula illius conferendi profecta, efficiebat.

Erat enim in Rituali sacramento, sive jurejurando, quod novus Archiepiscopus concipere deberet, cum Pallium sibi sumeret, illa formula, *Promitto me persequturum haereticos & Schismaticos*. Aula Petropolitana, in eam formulam ab Stanislao Petropoli jurari, se pati posse negabat. Legatus solvere Stanislaum lege ejusmodi jurisjurandi, ipse per se ex æquo, & bono, sine venia Romani Pontificis, non audebat.

Quare dum consultus Pius, esset ne de summo jure decedendum Legato; neque adigendus Petropoli in eam formulam novus Mohiloviæ Archiepiscopus, responderet; per majus aliquod temporis intervallum in ea Imperii Moschici Urbe ac Sede primaria Legato fuit immorandum. Quæ diuturnior mora effecit, ut eidem attributa pecunia ab ærario Congregationis de Propaganda ad triginta scutatorum millia jussu Pii curaretur.

In-

Interim non sine Numinis, opinor, majore quodam consilio accidit, ut Petropoli dedicanda esset religioso ritu aedes prima Cattolicorum Deo in honorem Catharinae Virgini & Martyris recenter ibi exaedificata. Ergo Legatus die decimaquarta Octobris, qui Dominicus erat an. 1783. omni religiosissimi ritus apparatu, maximo non Catholici modo, sed totius Urbis concursu, quem & religio caeremoniarum sacrarum, & dignitas legati eximia, & expectatio eloquentissimae homiliae ab illo latino Praesule ad Catholicos habendae, vehementissimo studio concitaverat, aedes Petropoli B. Catharinae dedicavit.

Jam cum Pii litteris ad Legatum scriptis, solutus esset novus Archiepiscopus ea jurisjurandi formula, Aulae Petropolitanae suspecta, atque odiosa, dicta est dies vigesima sexta Januarii anni 1785., qua die Legatus Romanus Stanislaum Archiepiscopum Mohiloviensium Pallio, a Romano Pontifice misso, solemni ritu, caeremoniaque insigniret.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Magno apparatu Pallium datum Archiepiscopo.

DIes ille festus in ædibus Catholicæ Ecclesiae, qua templi apparatu, qua Cantorum frequentia, qua Musico concentu, qua omnium Ordinum concursu, qua Ruthenae Ecclesiae admiratione, qua flore totius Nobilitatis qua exterorum Legatorum splendore, qua Imperatoriae Familiae amplitudine, qua Augustae praesentis amplissima Majestate, dicitur tanta Romani nominis gloria actus, ut Catharina Imperatrix antiquam voluisse Romani triumphi pompam quodammodo instaurare Petropoli videretur.

§. LXXX.

Benislauskius initiatur Episcopus ab Apostolico Legato,

NEque non eodem actus esset splendore, dies Februarii ejusdem anni tertius, quo Legatus Apostolicus iisdem in aedibus Joannem Benislauskium, Episcopum Gadarensem, futurum Stanislai Mohiloviae Successorem, inaugura-

guravit; nisi Augustæ præsentia, quæ forte eo die parum bene valeret, desiderata fuisset.

Illius tamen nomine, religiosæ functioni præfuit cum Cohorte tota Imperatoria, Aulæque Nobilitate, Princeps ille clarissimus splendidissimo ornatu Potenkinius. Eam porro religiosam Episcopi initiationem, qui Petropoli erant omnium Principum Catholicorum Legati pro se quisque augustiorem facere, sanctioremque contenderunt; cum in oblationibus, de more fieri solitis, Legati Hispanus, Lusitanusque Cereos; Gallus, Viennensisque vinum, Utriusque Siciliæ, Sardusque panem offerendum sibi poposcere.

§. LXXXI.

Prorogata Delegatio Apostolica Mallensi.

NE quid vero reliquum esset, quod non dedisse Pium postulanti Catharinæ constaret, ex Epistola Encyclica ad omnes Regulares Stanislai Archiepiscopi, quam die vigesima Novembris 1784. scribebat, planum est omnibus factum, Eidem Delegati Apostolici censuram in omnes Albæ Russiæ familias religiosas fuisse prorogatam. Sic enim exorsus Stanislaus Episto-

Epistolam fuit „ Elapso trienali meo super religiosos per Albam Russiam spatio, cum SSmus Dominus gratiosissimis, quas mihi dare dignatus est, litteris adjunxerit prorrogatam pristinam ordinariam super exemptos jurisdictionem, officii mei esse duxi, eam in me resuscipere, &c. "

Jam si quis ex his actis omnibus, ex *Pallio* illi Stanislao, Mallensi prius Episcopo, nunc Mohiloviæ Archiepiscopo, per Nuncium dato, ex *Delegatione* Apostolica eidem prorogata; si quis, inquam, non videat, nihil fuisse sani, nihil veri, nihil sinceri; nihil non ab Aula Romana, exteris Aulicis datum, in iis Pallavicinii, & Nuncii litteris, minarum refertis, quibus Mallensis reus sibi arrogatæ potestatis Pontificiæ, reus violati obsequii insimulabatur is profecto magis conviciis, quam laudibus; magis fictis fabulis, quam veris nunciis, magis verbis ab ore inimico prolatis, quam rebus in celeberrima Urbe, in luce totius Imperii Moschuani actis, se credere velle convinceretur.

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Res tota clamat, Mallensem antea injuriose tractatum.

VEllem equidem, responderet Nuncius (nec enim Pallavicinius, qui Judici jam Deo rationes reddidit, totius illius actionis, a se ad arbitrium inimicæ coitionis gestas, nunc a nobis appellandus est) N. N. inquam, vellem nobis responderet: Ubi nunc illa malitiose ab ipso simulata suspicio, non jussum Mallensem ab Augusta, sed malis Jesuitarum artibus adductum, a denunciatione Clementini Brevis abstinuïsse? Potentioris alicujus gratia, non Augustæ auctoritate, Jesuitis omni sacrorum communione non interdixisse? Non legitima potestate usum tirocinium illis restituisse? Ubi nunc a Mallensi prodita fides conscientiæ? Ubi ægritudo, ubi tristitia, ubi anxietas, Pio per Mallensem creata?

Sed nimis simpliciter ago; Uno verbo N. N. de more absolvatur. Candidatus erat Purpuræ Romanæ: hanc cum ab inimicis Catharinæ expectabat, omnia in Mallensem Catharinæ Imperatrici fidissimum Episcopum, crimina conjiciebat: Cum dibaphum per Catharinam sibi pollicebatur, omnia in eumdem Mallen-

sem beneficia conferebat. Lex est prima Candidati, foro, & Scenæ servire.

§. LXXXIII.

Imperatrix Purpuram N. N. impetrat, & Pio gratias agit.

Redeo jam ad Imperatricem. Hæc cum prætiosissimis muneribus, donis, numismatis aureis Legatum donasset, nihil habuit sibi prius, quam ut Purpuram primo quoque tempora eidem a Pio conficeret. In Consistorio die vicesimo quarto Septembris anno 1784. Romæ habito, Pius Cardinalem N. N. renunciavit.

Tabellarius ea de re missus hominem Bichistovii offendit, unde per litteras Augustæ gratias agebat maximas pro amplissimo honore, ejus commendatione Romæ sibi decreto, quo nuncio etiam Benislauskium, novum sibi scilicet amicum, aut certe Imperatrici charissimum Clientem, impertiebat.

Deinde Imperatrix, quæ a nemine beneficiis vinci passa unquam fuisset, sibi faciendum censuit, ut suus apud Regem Sardiniæ Legatus, Clarissimus, Princeps Vousnupofius, Romam profectus, easdem coram Pontifici Maximo pro tot cceptis ab eo beneficiis gratias,

quas

quas per litteras egisset, suo nomine amplissimis verbis ageret.

§. LXXXIV.

Potenkinius curat inaugurandum Polotiæ Archiepiscopum Ruthenum.

POstremo ex ejusdem Imperatricis voluntate Potenkinius cujus fidem Romæ Benislauskius Pontifici obligasset, fore, ut bona cum Augustæ venia Ruthenis Catholicis Polotiæ Archiepiscopus præficeretur, dare cœpit operam ut ea res tota quam primum transigeretur.

Is cum constituisset, Teolinum, quod oppidum sui esset mancipii, in Palatinatu Polotiæ revisere, rogabat eodem tempore Mohiloviensem Archiepiscopum, & ejus Successorem Benislauskium, ut sibi comites itineris eodem sese conferrent, ubi inaugurationi Archiepiscopi Rutheni honoris sui causa interessent.

Res tota magno est Teolini gesta splendore. Eo enim vocatus ille, jam Romæ Pio monstratus Ernelius Lissovvskius, Basilianus S. Onuphrii Abbas, a Gedeone Horbakio Archiepiscopo Prinscensi inauguratus Polotiæ Archiepiscopus, eam sedem, ante male Wasinkio

 despon-

desponsam, nonnullos jam ante annos vacuam, jure, volente Pio, & Imperatrice, occupavit. Is finis contensionis fuit, Pione, an Catharinæ ad memoriam totius posteritatis gloriosior, haud scio satis. Pius certe & Clementia, & Sapientia, & arte eximia Ecclesiæ difficillimis in rebus optime moderandæ, nemini non Romanorum Pontificum par prædicabitur, qui implicita voluntate, brevi admodum decreto significata, quo sibi in Alba Russia Stanislaum censorem regularium (inter quos sciebat esse Jesuitas, nondum iis Abolitione denunciata) delegabat, sine justa offensione Ministrorum Regiorum salutem vitam, perpetuitatem Jesu Societati aperto ibi tyrocinio, propagabat, tempestatis procellam, ab Aulicis suis suscitatum, ab ea Ecclesia propulsabat.

Catharina demum II., Illa Russiarum Imperatrix, omni laudum prædicatione major, non jam in bello fortior, quam in pace sapientior ac constantior ad præcidium innocentiæ, ad propulsionem calumniæ ad patrocinium Catholicae in Alba Russia Ecclesiæ, a bonis omnibus velut ab astris in terram divino demissa consilio, commendabitur.

§. LXXXV.

§. LXXXV.

Jure & habita Comitia ab illis Jesu Sociis, & legitime creatus Vicarius Generalis.

ATque ex his omnibus & monumentis, & rebus gestis, a Nobis hactenus expositis, cum satis superque omnibus constet, & Jesu Societatem in Alba quidem illa Russia in statu pristino permansisse immotam, & potestate justa, legitimaque Delegati illius Pontificii fuisse novo tyronum delectu suppletam, atque firmatam, nihil fortasse ex judicio bene sentientium, sit opus illud etiam adjungere, rite, ac jure eos Jesu Socios, & volente Imperatrice, & probante Delegato Apostolico, sibi supremum creavisse ex Instituto Ignatiano Vicarium, qui pro Præposito Generali religioso Corpori in Alba Russia præesset.

Verum, ne cui, ac ne suspiciosissimo quidem obtrectatori, reliquus sit ullus in hac parte scrupulus, paucis ostendere decrevi, ejus Vicarii Generalis comitia optimo jure fuisse habita.

Ad

At primum fortasse non deerit, qui consilia Numinis providentissimi quod salvas vellet Jesu Societatis reliquias, valde apud se miretur, cum intelligat, non modo Imperatrici eam mentem divinitus fuisse datam, ut non modo non pateretur, Clementis decreto in Imperio suo Jesu Societatem interire, sed etiam optaret, ut robur denuo ex legitimo Præfecto illi accederet.

Imperatrix enim ipsa cujus singularem in regendo amplissimo Imperio, ac prope divinam sapientiam, mortales omnes admirari nondum satis potuere, sponte quidam sua in eam sententiam venit, ut optaret Jesu Societati suæ Præpositum Maximum creari, qui eo usque Vicarius esset Generalis, dum tempus, a quo sors omnis in vita varie versatur, aliam moderationis rationem afferret.

Verum cum illa nollet omnia pro imperii potestate cum illis suis Jesu Sociis agere, & interposito nomine suo ab omnibus, quibus hactenus vexati fuerant, contentionibus, eos liberare eosdem admonendos modo curavit, sese, si rogaretur, eam veniam libentissime daturam, ut Vicarius Generalis in comitiis religiosis, exlege Instituti Ignatiani habendis in Alba Russia crearetur.

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Rogata Imperatrix jubet Vicarium Generalem creari.

EA tam benevolæ Imperatricis sententia Jesu Sociis significata, cum eos, in tam afflicta fortuna, maxima spe, summoque gaudio affecisset, continuo Præfectum illius Provinciæ movit, ut in hanc sententiam Imperatrici libellum supplicem tradendum curaret. "

Se, jam ferme decem annos moderatum in Alba Russia Jesu Societatem, quippe quem jam vires, tanto oneri pares, deficere caepissent, Imperatricem Jesu Societatis sive piam quasi Matrem, sive Augustam Patronam, demissime orare, atque obsecrare, ut per eam Jesu Sociis liceret, comitiis, ex Instituti Ignatiani lege habendis, sibi summum nominare Magistrum, qui illi in Imperio Moschico Ordini Religioso præesset.

Hunc Imperatrix libellum, voti ipsa sui compos, ita signo suo die 25. Junii 1782, muniebat, ut prudentissimis sapientiae suae auspiciis cum una auctoritati Delegati Apostolici serviret, Juse Societatis saluti *sine ulla contra-*

con tradictione provideret; quae in hæc verba rescriptum edebat.

Mandatum Augustissimae Imperatricis Regnantis in tota Russia a Senatu missum ad Gubernium Polocense.

POstquam sua Imperatoria Majestas dedit supremum Mandatum, *sua propria manu subscriptum*, die vigesimo quinto mensis elapsi Junii his verbis conceptum.

Benignissime concedimus Societati Jesuitarum, in Imperio Nostro existentium, ut inter se eligant Vicarium Generalem, qui Provinciales, & alios Superiores designabit pro suo arbitrio. De praedicta electione Generalis Vicarii debent ipsi, per Archiepiscopum Mohiloviensem Romanae Ecclesiae, Certiorem reddere Nostrum Senatum; Senatus autem Nos. Idemque debet denunciare, quod licet hic Ordo religiosus obstrictus sit ad debita obsequia suo proprio Pastori Archiepiscopo Mohiloviensi Ecclesiae Romanae nihilominus praefectus, Archiepiscopus videat, ut Institutum hujus Ordinis religiosi in integro, & absque ulla laesione etiam minima, conservatum maneat, in quantum cum nostris civilibus legibus concordat.

„ De

De hac suprema Augustiſsimae Imperatricis conceſsione juſsit, Senatum certiora reddere Mohiloviense, & Polocense Gubernia, nec non Generalem Gubernatorem, atque Archiepiscopum Mohiloviensem Romanæ Ecclesiæ ut ipsi hoc supremum Mandatum denuncient Societati Jesuitarum, & ut quivis ipsorum partes suas hac in re impleat. Hoc in negotio missa sunt etiam mandata, quo opus sit. Die 4. Julii 1782.

Basilius Kamarikovv Supremus a Secretis.
Nicolaus VVolkovv a Secretis.
Michael Klin Sub Cancellarius.

HOc ab Imperatrice rescriptum ubi in manus Prætoris Albæ Russiæ, Viri clarissimi Zaccharix Czernizevii, pervenit, & statim coram Præfecto iilius Provinciæ Stanislao Czernievviczio die trigesima prima Julii de more recitatum; mox ejusdem Rescripti exemplum, in linguam versus Poloniensem ab eodem Prætore Polotiam ad Sociorum Jesu Collegium missum, die secnnda Augusti ex ejusdem mandato est illis sexaginta quinque Sociis publicé lectum. Tandem ejusdem Prætoris auctoritate est in omnibus Albæ Russiæ Urbibus in locis publicis propositum.

§. LXXXVII.

Delegatus Apoſtolicus dat veniam habendorum Comitiorum.

REbus in hanc rationem paratis, Præfectus Provincialis Mohiloviam profectus, ab eo Epiſcopo facultatem Comitiis indicendis poſtulavit.

Epiſcopus, jam ante ab Aula Petropolitana de re tota admonitus tanquam Delegatus Apoſtolicus, cui juriſdictio in omnes eſſet Ordines religioſos, non licere modo ſibi, ſed expedire Eccleſiæ illi ſuæ arbitratus, eam Præfecto Provinciali facere facultatem, quam ſalvis antea rebus, ſolitus eſſet Rom. Pontifex ad nova comitia Jeſu Societati dare, fauſtis, boniſque verbis veniam roganti faciebat. Et ſi enim ſui eſſe juris, illis Comitiis religioſis pro Apoſtolici Vicarii poteſtate præeſſe, idque ſeſe non nolle, paucis verbis ſignificaſſet, tamen ne quid novi, præter Imperatricis voluntatem, in Comitia Jeſu Societatis institueretur, quibus nunquam antea extraneus aliquis Cenſor, aut Moderator, præfuiſſet; non modo de ſuo decedere jure, ne illi electioni per ſe intereſſet, ſed etiam Jeſu Societati eam veniam ſe facere oſtendebat, ut ad ſe ne officii quidem, honoriſque ſui cauſa, electus jam Vicarius Generalis Mohiloviam acce-

accederet, sibi satis futurum, si per litteras ea de re fieret certior.

§. LXXXVIII.

Dies Comitiis dictus.

Ergo re tota jam expedita, dictus est dies certus, quo die Polotiæ Comitia haberentur. Dictus est autem dies decimus sextus Octobris, qui dies Octavæ Commemorationis Divi Francisci Borgiæ esset, in quo id sequutus est Præfectus Provincialis ut, qui olim in terris Præpositus Jesu Societati, Borgia eam suo consilio in Poloniam intulisset, idem e Cœlis Beatus patrocinio suo efficeret, ut per legitima comitia eidem Jesu Societati, in eligendo Vicario Generali, ad conservationem optime consuleretur.

Ad dictam ergo diem cum triginta & unus Jesu Socii Professi, quorum nulli edictum fuisset Clementis XIV. Breve extinctionis, ex omnibus ferme Europe nationibus Polotiæ convenissent, haberi cæpta sunt Comitia.

§. LXXXIX.

Acta Comitiorum in prima Sessione.

JAm in prima actione illud est de more relatum, esset ne legitime congregata Jesu Societas?

Cui quidem quaestioni ea erat subjecta ratio; quod Patres Assistentiae Galliae, quibus Breve Abolitionis nunquam bona cum venia Supremae potestatis Civilis, rite esset denunciatum, abessent: nec enim dubium esse, quin, cum illi re quidem ipsa sinceri essent Jesu Socii, aequum videri posset, ut illarum V. Provinciarum, in quibus tanto major esset, quam in una Alba Russia Jesu Sociorum numerus, (a) ratio haberetur; quare ab illis V. Provinciis Jesu Societatis Electores quindecim abesse videri. Viderent ergo Patres, utrum hi & vocandi, & expectandi essent; An ab ipsis temporis causa absentibus, essent ex scripto roganda suffragia, suo cujusque illorum nomine, & sigillo munita.

Om-

(a) Inſtit: tom. I. ex Decreto Congr. IX. A. pag. 624. & Congr. XI. A pag. 634. & Congr. XV. A pag. 677. & Cong. XVI., A decr. I. pag. 679. En verba, Cum nulla spes esset illorum adventus; pronunciarunt Patres, Congregationem nihilominus esse *legitimam*, & precedendum &c.

Omnium eorum Patrum ea fuit sententia: Videri Jesu Societatem in comitiis rite convocatam: omnino non oportere, ut omnes illi Jesu Socii neque convocarentur, neque ex scripto suffragia, sigillo ipsorum munita, rogarentur. Non esse scilicet de prudentia diviniore Magni illius Patris Lojolæ, Instituti totius auctoris sic existimandum ut, quæ fieri vix, aut ne vix quidem temporis causa possent, ea jusserit aliquando facienda. Omnes illos Jesu Socios legitime perpetuoque impeditos videri; Gallis quibus a Ludovico XIII. ex edicto mense Majo 1777. articulo secundo esset vetitum, ne in commune vitam ulla de causa simul degerent: Articulo tertio. Ne cum Alienigenis Jesu Sociis ullo modo communicarent, præsertim cum iis, qui in Jesu Societate aliquam auctoritatem præfecturæ haberent. Jesu quidem Sociis nihil unquam prius, aut fuisse ante, aut esse tum habendum, quam ut supremæ Potestati, modo per fidem conscientiæ liceret audientes essent.

Deinde cum de numero electorum esset relatum, omnibus placuit, eos ad triginta satis multos esse futuros: Esse Jesu Sociorum valde exiguam in Alba Russia copiam: Messem multam, operarios paucos, et quia si plures quam triginta cogerentur, non posse, non

in-

nterea ad solita in illa Provincia ministeria, cum jactura publicæ proximorum salutis, operarios desiderari.

Postremo cum de modo, atque auctoritate, quacum creandus esset Præfectus in ea Societatis Jesu fortuna, Patres rogarentur; Una omnibus sententia placuit: Nominandum quidem esse Præfectum cum tanta potestate, jurisque religiosi dictione, quantam Institutum Jesu Societatis sit in se complexum, ea tamen lege, ac conditione creandum, ut Vicarius ipse Generalis, si quando pro re nata, pro varietate temporum, pro vicissitudine rerum humanarum, Romæ aliter provisum fuerit toti Jesu Societati, teneatur omnino parere decretis Congregationis Generalis, quæ Romæ fuerit habita.

§. XC.

Creatus Vicarius Generalis P. Stanislaus Czernikoviczius.

NIhil hic erit opus, singula me persequi, postea ab iis gesta Patribus, quæ ex Insiituto essent antea peragenda, quam ad suffragia ventum esset. Rite rebus omnibus actis, die decimo septimo Octobris 1782., (cum

(cum pauca tuliſſet puncta Pater Gabriel Lenkieviczius) majore ſuffragiorum numero renunciatus eſt Vicarius Generalis Pater Stanislaus Cientkeviczius, ille idem Albæ Ruſſiæ Præfectus Provincialis.

Sine mora ulla nuncius ea de re ad Imperatricem Petropolim, & ad Apoſtolicum Delegatum Mokiloviam, & ad Senatum miſſus communi omnium plauſu fuit acceptus. Ex oculis autem eorum Jeſu Sociorum lacrimæ ubertim profuſæ quanta intus, quamque divina eorum animi afficerentur voluptate, erant omnibus argumeuto.

Unus ex omnibus Patribus Stanislaus, nuper Vicarius Generalis factus, ſummo animi mærore ex ea ſibi mandata Præfectura confectus, nunc vires oneri tanto impares, nunc adverſæ valetudinis imbecillitatem, nunc ætatis prope jam decurſæ languorem, nunc demum ingenitam animi in rebus agendis anxietatem excuſare; ſi ſibi per Patres liceat, Magiſtratum velle ſeſe deponere, vel potius non inire. At contra coufiſi Patres & Sapienʒia ſæpe Spectata, & eximiae virtutis praeſtantia, longo tempore in Stanislao cognita, illius excuſationem repudiare. Illi a Divorum Jeſu Sociorum Cœleſti favore, maxime vero ab Ignatii totius Societatis Conditoris, a Borgiae

giae illius in Polonia Auctoris, patrocinio, vires, opem, consilium, sapientiam polliceri.

§. XCI.

Vicarius Generalis ab Augusta recreatus onus Præfecturæ non abdicit:

ECce vero tibi in tanta Vicarii Generalis fluctuatione animi, haud equidem reor casu, sed certo Numine Divum, Polotiam, nondum unius horae ab ejus electione elapso spatio venit Princeps ille Aulicorum Russiae Potenkinius, ad salutem periculantis Jesu Societatis divinitus datus. Is, cum Auctor, laudatorque electionis valde fuisset, tantum abfuit, ut excusationi Generalis Vicarii acquiesceret, ut potius illi amice praeciperet, illico ut Petropolim ad Augustam Imperatricem contenderet; cui & rem ordine, ut esset gesta, coram enunciaret, & totius Jesu Societatis nomine meritas pro tot, tantisque ejus beneficiis gratias ageret.

Huic & tam chari monitoris, & tam potentis Patroni consilio Vicarius Generalis parendum sibi sine cunctatione ratus, statim, creato Provinciæ Præfecto Francisco Karevio, Secretario itidem Francisco Loupia, utroque spectatæ virtutis, ac sapientiæ Viro, suspensis interim, eo usque dum rediret, comitiis, Petropolim sese conferebat. Ibi

Ibi ab Imperatrice humanissima supra quam paucis dici possit benevole coram admissus, actisque vere, & ex animo tam amanti Patronæ amplissimis nomine Jesu Sociorum gratiis, victus opinor animi sui humilitate, ausus est ab eadem Praefecturæ recusanda veniam obsecrare: sese aetate senem, valetudine adversa fractum, ingenio timidiorem dicere, procellas saevientis in Jesu Societatem fortunae vehementissimas Augustam ipsam omnium optime videre. Alio duce, auctore, moderatore praesenti Societatis tempestate opus esse.

Non tulit Augusta commiserantem diutius Seniorem illum Sacerdotem, Jesu Socium eximium. „ Quin Ego ipsa, te bono esse animo hortor: Melius te de Societate Jesu sperare jubeo. Video tempora adversa:. iis non tu unus Pater; Ego una tecum resistam. Quam in me jam estis Jesu Socii Cives in Alba Russia mei, adhuc experti & opem, & fidem, & tutelam, eandem & Tibi, & tuis Sociis nunc denuo polliceor, *Ne cede malis*; Me Duce *contra audentior ito*.

His & optimis auspiciis, & sapientissimis praeterea consiliis erectus, cum ab Imperatrice paulo post discederet, omnem denique & timorem, & dubitationem penitus ex animo ejecit suo Vicarius Generalis, cum ab ore

 cer-

certi cujusdam Viri omnium judicio santissimi, certique divinae voluntatis Interpetris excepit. „ Sic visum esse Deo ut ipse onus, sibi a suis Jesu Sociis impositum, sine recusatione susciperet. „ Quae certe non vana apparuit interpetratio, cum ille ipse Vicarius Generalis, dum ad breve quidem tempus Societati praefuit, (*a*) vel assidua apud Deum precatione sua, vel favore Imperatricis praesentissimo, vel fidissima Assistentium suorum auctoritate, optime praefecturam suam gessit.

Petropoli Vicarius Generalis Polotiam ad incæpta Comitia reversus, creatis & Assistentibus, & Admonitore, & Vicarii Generaralis Socio, & totius Societatis Secretario res omnes, ex formula legitima, cum diebus paucis expedisset, dimissa statim Congregatione, litteras ad omnia Jesu Societatis in Alba Russia Collegia scripsit.

§. XCII.

Decreta a Congregatione edita.

EGo in iis Jesu Sociis quis in ipsis Comitiis quis post comitia, animorum fuerit

(*a*) Obiit 18. *Julii* 1785. ex Ephimer Polonis Italice redditis cap. Varsaviæ 28. Auguſti Notitiæ Mundi num. 82. 1785.

rit sensus ; quam , in præsentibus in rebus afflictis , laetus , ut in memoria pristinae fortunae, acerbus fuerit, aliis cogitandum relinquo . Illud optimum factu mihi judico, ut tria referam in iis comitiis edita ab iis suffragantibus Patribus decreta .

Primum . Si quis ex pristinis Jesu Sociis Brevis Clementini denunciatione jam exauctoratis, Jesu Societatis Petitor in Albam Russiam redierit; is in non nisi Ignatianis exercitationibus ante obitis, recipiendus erit. Qui si antea fuisset in Jesu Societate professus, professionem iterabit ; Sin antea vota modo simplicia in Jesu Societate nuncupasset, ea denuo de sententia Superioris nuncupabit .

Alterum fuit decretum , ut quæ antea in Jesu Societate æstiva votorum renovatio die vigesima nona Junii suscipi soleret, ea in posterum die ipso, Cordi Jesu in Ecclesia sacro, usurparetur .

Tertium : Ut & in Litaniis, recitari in Jesu Societate quotidie de more consuetis, ad exteras orationes illa adjungeretur, quæ erga Cor Sanctissimum Jesu sit his verbis concepta : *Concede quæsumus* : Et singulis quibusque Sabbatis post Sanctorum Litanias, Litaniæ Lauretanæ Dei Genitricis Mariæ recitarentur .

Quae omnia a nobis de Comitiis Polotiae habitis narrata fide publica totius Europae, ex istis omnium fere nationum Diariis constant.

§. XCIII.

Vana accusatio in illa comitia quæsita.

UNum illud est reliquum, de quo obtrectandi, non veri quaerendi causa, tam multi loquebantur, Jurene sint & convocata, eo tempore, & eo Jesu Societatis statu, habita Comitia. Quam ego causam prudentissimorum hominum judicio integram permitterem, fretus æquitate eorum, qui sine partium studio arbitri esse vellent, nisi viderem, quaesita quadam calumnia, ab obtrectatoribus malevolis judicium causæ totius obscurari.

Sic enim ferme rationati, populum decipiebant: Qui in Alba Russia erant exjesuitæ, decreto Clementis exauctorati, suppressi aboliti erant. Hi ex Jesuitæ sibi in Comitiis Vicarium Generalem nominarunt.

Sunt ergo & illi Schismatici, & Comitia illorum nulla, & Vicarius Generalis sine jure, & contra jus Præfectus.

Brevius ne, quaeso; an malitiosius est conclusum?

clusum? Quid si illi non ex Jesuitæ, non suppressi, non aboliti, sed germani Jesu Socii? Si non exauctorati *in Alba Russia*, sed legitimi viri religiosi erant? Nonne calumnia tota, quæ in una modo voce latebat, quæ pro his *Jesuitis*, *ex Jesuitas* aliarum Ditionum supponebat, evanescet?

Nonne lege vocata comitia? Nonne jure creatus Vicarius Generalis erit dicendus?

At a nobis, luce clarius ipsa, est adhuc demonstratum, neque sine denunciatione Clementinæ abolitionis sic exauctorari illos Jesu Socios potuisse, ut ex Jesuitæ fierent e Jesuitis; neque illis adhuc denunciatam abolitionem (quod omnes illorum hostes dolent, & Aula Romana Mallensi semper praecepit, nec obtinuit, ut nemo eorum non fatetur,) fuisse. Quare jure illi suo & coire in comitia, & in comitiis saluti Ordinis consulere, & ex lege Instituti, atque adeo Pontificia, sibi Praefectum dicere maximum potuere.

§. XCIV.

Jure habita Comitia.

AGe vero rem totam hac conclusione comprhendamus. Ex Instituto Ignatiano (in te-

to

to dicere, toties ab Apostolica sede comprobato, semel a Concilio ipso Tridentino confirmato) ubi non est per denunciationem Decreti Clementini (ab Imperatrice legitime impeditam) abolitum, jus est indicendorum Comitiorum, sive Generalis Congregationis convocandae, quoties „ *Praepositus Generalis* (*a*) *vel morte occupatus, vel morbo, qui ad hunc effectum perinde ac mors censeatur: & jus illud est penes eum in Societate Jesu Praefectum qui vicinior sit loco in quo mortem obierit Generalis*. Quid ita, ais? Quia Legislatore Ignatio tum vicinior Praefectus sive Provinciæ, sive domus Jesu Societatis curare statim debebit, ut certiores faciat Professos, & eos ad Vicarium constituendum congreget, donec sic electus fuerit Generalis.

Hoc jus ab Ignatio totidem verbis fuit comprehensum, hoc jus sic toti Societati communicatum.

Jam Stanislaus in Alba Russia is, qui illa comitia indixit, & germanus Jesu Socius, & Provinciae Germanorum Jesu Sociorum Praefectus legitimus, vicinior erat sine dubitatione ei loco ubi Laurentius Ricius, ante Generalis Praepositus; ubi Ignatius Rombergius a

(*a*) In Conſtit part. 8. cap. 4. Beclar. A pag. m. 420.

a Riccio sueffctus sibi mortis causa Vicarius, si non morte occupatus, si non morbo captus certe abolitione Ganganelliana eis aliisque Professis & in Germania, & in Polonia indicta, exauctorati perierant, & esse in Societate desierant: ad hunc enim effectum perinde ac mors opinor, illa letho, morte, nece, cæde, pejor millies Jesu Sociis abolitio censeri debebat.

Jure ergo indicta fuit in Alba Russia Congregatio. Jure illa comitia habita. Jure Vicarius Generalis creatus, eo usque dum Generalis eligeretur.

§. XCV.

Vivum corpus religiosum, ubi non denunciatur rite abolitionis decretum.

At enim Clemens Pontifex, totum Ordinem Jesu Societatis exauctoratum voluerat. Voluerit ille quidem (nolenti, ut ajebant, animo opinor, eo jure exauctoratum, quo totus exauctorari posset; si modo decretum ipsius toti corpori, si singulis Provinciis ac domibus esset rite denunciatum.

Quod certe iis Albæ Russiæ Jesuitis Pro-

feſsis

fessis, qui in illo essent corpore, non erat legitime denunciatum.

At enim Laurentio Riccio; ejus Corporis capiti, fuerat coram recitata abolitio. Fuerat enim vero, & caput esse desierat tam bene constituti corporis, & Praepositus Ordinis totius Maximus amplius non erat optimus ille Riccius. Quid tum postea? Quasi tu religiosum corpus, Ordinem, collegium, systema Jesu Societatis instar piceae, ut est in proverbio, tibi fingeres quae semel detruncato vertice truncus jacet mortuus. Quid? Pereunte Rege, regnum jam totum periit? Occiso Imperatore, nullus jam manet exercitus? Patre familias defuncto, una tota domus effertur? Manebat viva in Alba Russia Jesu Societas, quo nec Vaticanum fulmen pervaserat, nec romana securis penetraverat: Manebat corpus illic vivum, manebant jura pristina Ordinis religiosi, manebat sui tuendi, sui propagandi integra facultas.

An vero Scholis in Polonia Piis, Infirmariis in Hispania Fratribus, licuerit vivere, vigere, jura religiosa pristina tueri, etiamsi Romae eorum sive corpus, sive caput, sive Generalis Magister, per Abolitionem fuerit extinctus, Jesu Sociis in Alba Russia non licebit?

Sed

Sed actum (a) quid opus est denuo agere? Jura a Romano Pontifice semel Ordini collata religioso, in ejus partibus tandiu manent salva, quandiu non sint illi rite, recte, atque ordine ab eo ablata, a quo fuerant communicata. Tandiu non sunt rite ablata, quandiu non sit iisdem voluntas Pontificis Romani qui ea jura evellat rite denunciata.

Sed manum jam tandem de tabula. Nihil mihi sit amplius cum iis, qui, quæ sciunt, nesciunt, si ea sint profutura Jesu Societati qui lucem tenebras, tenebras lucem in causa Jesu Societatis pejerant.

Ad eam ipsam in Alba Russia salvam, Jesu Societatem, mihi & luce, & oculis, & vita chariorem breviter conversa oratione perorabo.

Vivite felices, Jesu Socii, quibus Imperatrix Sapientissima jura, vota, privilegia, ministeria vitam religiosam, Ignatii sanctissimam disciplinam, istam in terris vestram beatitudinem (nam nostram, sic visum Superis, non possumus dicere) vestram in terris beatitudinem ab inimicorum odio, a Philosophorum potentia ab Novatorum furore, salvam, incolumem, perennem vindicavit.

L Præ-

(a) In libro primo.

Praepoſito iſti veſtro, Vicario Jeſu Societatis Generalis, cui vobis re ipſa, nobis voto ſtudio, deſiderio ſolum licet, ſubditi eſtote, parete, obedite. Vivite tandem in Alba Ruſsia laeti, ſi pro nomine, pro Jeſu Societate; pro pace Eccleſiæ pro ſalute proximorum, contumelias, convicia, oporobria, maledicta pati contigerit. Contigit Eccleſiae in terris Auctori Jeſu Chriſto, contigit naſcente Eccleſia Apoſtolis, contigit ea adoleſcente viris Apoſtolicis, contigit ea jam adulta ſanctiſſimis operariis, contigit per bina, atque eo amplius ſaecula iis Jeſu Sociis, quibus hoc divinitus dari quaſi munus perpetuum, magnus Crucis amator Ignatius multis precibus obtinuit. Nos ſocii paſſionum una vobiſcum erimus, ſi non liceat nobis eſſe in terris veſtræ religionis, ac diſciplinæ Socii.

Dixi.

FINIS.

ANNO-

ANNOTATIONES
PRIMA AD §. IX.

JUre ſuo teſtificabatur Præfectus Provincialis, ſibi licere, Auguſtæ ſuæ morem gerere, & in erigenda domo Novitiorum, & in Novitis cooptandis ſine conſenſu Epiſcopi, atque Ordinum Regularium, quod erat a Conc. Cautum Trident. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 3. Nam & ea tirocinii domus jam ante a Carolo Keriskio, Provinciæ Maſoviæ Præfecto, an. 1759. fuerat inſtituta in eo Collegio Polocenſi, quod ab anno 1582. ab Stephano Battoreo Rege Poloniæ ædificatum fuerat. Neque vero opus erat facultate a Congregatione Diſciplinæ petita, allegendorum tironum, id quod Innocentius XII. pro Italia & Inſulis adjacentibus dumtaxat Sanciverat Conſtit quæ incip. *Debitum Paſtoralis officii*. Nec enim Sarmatae, & Polonii his termis Continentur.

ANNOT. ALTERA AD §. X.

NEque vero iidem illi digniſſimi Jeſu Societatis alumni non ſeſe ſtiterant coram Mallenſi, Vicario in Alba Ruſſia Apoſtolico, teſtati nihil ſe futurum moræ, ſi quod ille ſibi denunciare Breve Pontificium vellet, etiam illud, cujus una veluti plaga ſuus ipſorum ordo religioſus periret ante omnia capere ſe Pontifici Summo rite præcipienti obtemperare. Quæ inſolita Religioſorum hominum devotio, religionis ſtudio non recuſantium ab ordine excidere religioſo cum grata Mallenſi accidiſſet, eos a ſe ita dimiſit, ut diceret: Sibi ab Auguſta vetitam Clementini decreti indictionem, nec dum ab Aula reſcriptum ſibi eſſe Pontificia, quid ſibi eſſet conſilii in ea cauſa ſequendum; interea eſſent, qui ſemper fuiſſent, optime de Eccleſia Romana meriti viri religioſi.

Ad Romam quod attinet, quandoquidem nullum ad duas Provincialis epiſtolas neque Congregatio Vuiralis, neque Aula romana reſponſum dederit, cumque ad libellum ſupplicem nomine Sociorum nullum Reſcriptum miſerit Præfectus Joannes Baptiſta Cardinalis Rezzonico, profecto hoc inuſitatum ſilentium illos Jeſu Socios admonebat, Nihil ipſis aliud agendum, aut ſcribendum reſtare, niſi expectare in ſilentio ſalutare Dei,

do-

donec de eorum sorte Poteſtas utraque communi conſilio aliquid conſtituerit.

ANNOT. III. AD §. XIX.

ET illa ipsa Auguſta, *jure quidem suo*, in eam sententiam interpetrata videri debet breve Pontificium. Si enim cuivis privato parœmia juris *favores esse ampliandos* jus datum esse creditur, ut in rem ipse suam verba Principis generatim ſibi benigne facientis, accipiat. Multo hoc ipsum magis ſibi licere publicus Magiſtratus arbitrabitur, ut dubia verba, ſiquæ in rescripto Pontificio alicui ex Episcopis dato, *bono* suorum civium favere videantur, in commodiorem ſibi sensum interpetretur ex cap. olim de verb. ſign. Cum Beneficia interpatranda largiſſime & quamvis eſt interpetrationi modus quidam additus ex reg. 81. Juris in 6. In *generali conceſſione non veniunt ea*, *quæ quis in specie non esset vereſimiliter concessurus* sed hæc formula privatos tenet, Magnos vero Reges non tenet in Pontificiis privilegiis, opera illorum in causa de qua agitur, Episcopis a Romana Curia, & ad utilitatem publicam conceſſis. Quæ res in more jam poſita effecit, ut Romanæ Curiæ solertior cautio in ejusmodi privilegiis largiendis ſingillatim Cuncta exponat, excipiat, caveat, nihil non definitum, non nominatum, non expressum esse patiatur teſte Pallavicinio lib. 10. hiſt. Concilii Trident. cap. 16. num. 8.

French

108328

ACqH 1717868 025 7280